H. REUTER

DE ERRORIBUS

QUI

DOCTRINAM DE EUCHARISTIA

TURPAVERUNT.

DE

ERRORIBUS

QUI AETATE MEDIA DOCTRINAM CHRISTIANAM

DE

S. EUCHARISTIA

TURPAVERUNT

SCRIPSIT

HERMANNUS REUTER.

COMMENTATIO HISTORICA DOGMATICA
A SUMMO ORDINE THEOLOGORUM BEROLINENSI
PRAEMIO ORNATA.

BEROLINI
SUMTIBUS G. EICHLERI.
MDCCCXL.

Ad vos potissimum ut hunc libellum mitterem, etsi is, quo vestras ego familias contingo, necessitudinis gradus admodum diversus est, tamen eadem magnitudinis de me meritorum impulit memoria. Etenim si ii de adolescentibus optime merentur, qui, quae summa sunt vitae bona, religione Christiana ejusque scientia eorum animos ita imbuant, ut de illius veritate mente mortalium concipienda minime desperent: Vobis, qui id unum spectare soletis, tantum debeo, quantum fore ut solvatur, sperare non licet.

Tu enim, clarissime Marheineke, cum eandem benevolentiam, quam in familiam nostram universam, in me contuleris, et usu domestico ac consuetudine ad eas literas, quarum jamdiu studio flagraveram, ut omni cogitatione et cura incumberem, excitavisti et scholis habendis eam rationem, quam in iis excolendis ingressus est, ita mihi probavisti, ut ea sola nostrae memoriae theologiae quasi salutem recuperari posse censeam. Quem igitur alium opusculi mei patronum eligam, nisi Te, qui et de plurimis rebus opera et consilio me adjuvisti et ut illius edendi consilium caperem admonuisti? — Patronum autem quum Te, Vir Illustris, nominare audeam, libelli debilitatem quan-

dam, quae in mentem venit, nominis Tui quasi viribus firmaverim; neque enim is, qui in se ipso fiduciam collocat, patroni tutelae se commendat.

Tibi autem, carissime Guilelme, qui a prima aetate pueri animum conformavisti, et, quum discendi cupidine captus, doctrinae plus, quam religioni tribuere solerem, hanc ejusque scientiam ceteris disciplinis omnibus anteponendam accuratissimamque, quam quis sibi comparaverit, doctrinam nihil aliud esse nisi viam in sublime fastigium Dei scientiae i. e. *Theologiae* muniendam ostendisti, — Tibi igitur hoc opusculum ejus studii, quod ex eo tempore nihil umquam exstinxerit, optimum esse velim testimonium. — Quidquid vero in illa cogitatione percipienda operae laborisque consumserim, quidquid diligentiae adhibuerim, quidquid studuerim, quidquid contenderim, quidquid laboraverim, ejus omnem fructum non tam mihi, quam, qui primi semina jeceritis, communi praeceptori, clarissimo Marheinekeio, et Tibi me debere profiteor. —

Dabam Berolini ante diem quartum Idus Februarias A. MDCCCXL.

PRAEFATIO.

Hanc dissertationem, quam summus Ordo Theologorum Berolinensis praemio dignam duxit, cum, ut publici juris facerem, eorum hominum, qui plurimum apud me pollent, admonitu impulsus, quoad ejus fieri posset, emendare statuerem: tamen simulatque diligenter perlegere coepi, nisi novum libellum conscriberem, ut multa mutarentur, fieri non posse, intellexi. Itaque, illo consilio rejecto, nonnulla tantum addidi, scriptorum locos attuli, rerum vero rationem integram conservavi: praesertim cum dissertationem jam ob eam causam non prorsus immutari posse cognoscerem, quod, qualis ab initio fuisset, non autem, qualis, si plurima retractavissem, facta esset, praemio esset ornata. Itaque eos, qui hujus libelli judices se constituent, rogaverim, ut nonnullos tantum menses in eo conscribendo consumere mihi licuisse reputent.

Praeterea nihil habeo, quod commemorem, nisi vocabulum dogmatis non solum ad doctrinam absolute veram (vide Prooemium p. 2.), sed etiam ad errorem ejus non omnino expertem, ecclesiae auctoritate sanci-

tum significandum me adhibuisse. Itaque non raro de transsubstantiationis dogmate locutus sum, cum non aliud verbum satis idoneum exstet, cui notionem mente conceptam subjicere potuerim.

Dabam Berolini ante diem quintum Idus Februarias A. MDCCCXL.

INDEX RERUM.

PROOEMIUM.

Religionis Christianae natura omniumque dogmatum, quae ea continentur, ratio in uno dogmate, quod est de S. Eucharistia, quasi abdita latet. Eucharistia enim et Theologiam et Anthropologiam et Sotereologiam tantae necessitudinis gradu contingit, ut, quam quis viam in iis explicandis ineat, ex ea quam de illo Sacramento tulit, satis cognosci possit sententia. Etenim num religionis absolutae S. Trinitatis doctrinam i. e. Dei triuni in mundo veram probet praesentiam, an summi numinis ab hominibus remotissimi notionem, ex ea ratione, qua quis Deum in Eucharistia fruenda efficacem esse, sibi persuasit, facillime intelligitur. Neque minus, quam cum Jesu Christo societatem quandam contraxerit, quidque de ejus persona cogitatione effinxerit, si de coena sacra sententiam non dissimulavit, apparere videatur. Quemadmodum enim et S. S. et ecclesiae et theologiae dogmaticae speculativae de θεανθρώπῳ doctrinam aut respuit aut comprobat: sic aut *memoriae* Jesu Christi mortis Sacramento altaris renovandae aut *substantiali praesentiae* plurimum tribuit. Quae igitur singulis aetatibus religionis Christianae fuerit conditio, quaeque totius Theologiae natura, ex diversitate earum sententiarum, quae latae sunt de S. Eucharistia, eo luculentius cognosci potest, quo majorem ei potissimum dogmati exponendo operam dederunt, qui summorum theologorum laude florerent. Itaque de S. Eucharistia quid media aetate senserint ecclesiae doctores, disserere quum in animo habeam, de illius sacramenti ratione opinionibus referendis, *universae illius temporis theologiae* quasi imaginem verbis depingere mihi videor. Quam etsi plurimis de causis falsam fuisse negari non potest, tamen de ea judicium justum fieri nequit, nisi eam legem, qua, quomodo dogmata explicarentur, sancitum est, diligenter reputamus. Est vero re-

ligio Christiana ea lege generata, ut fidei sanctissimae, qua Dominum amplecterentur mortales, internae naturae ab initio obscura intelligentia illius ipsis viribus, si constituerentur et perficerentur, sensim enodaretur. Enodatur autem in ecclesia, quae, quum S. S. fidem, quae quasi summa est concordia, ut tempore procedente explicet, divinitus impellatur, ne periculosas quidem discordias effugere potest. Dogmata enim absolute vera quoniam a nullis intelligi possunt, nisi ab iis, qui eorum sibi conscii sunt, eos, qui illorum mente concipiendorum summo studio inflammantur, non subito, neque ita, ut non certamina oriantur, a falsis abalienare possunt. Certaminum igitur et inimicitiarum, quae, dum veritas hominibus probanda est, haud raro enascuntur, causa non est divina veritas, sed humana imbecillitas. In historia vero ecclesiastica, cujus est, ut fidei Christianae integritas sciatur, efficere, nihil aliud permanet, nisi cujus in S. S. jacta sunt semina. Contra quaecunque opinionum commenta per aliquod tempus ab hominibus sancita sunt, ea Spiritu sancto haud ita multo post funditus delentur, scientiae vero Christianae judicia confirmantur. Namque quemadmodum respublica nullis legibus recte temperatur, nisi iis, quarum normam jam antequam impositae essent, cives earum sibi non conscii secuti sunt: sic ecclesia Christiana felicitate frui non potest, nisi institutis regitur, Spiritu Sancto exortis. Haec vero instituta dogmata sunt, quorum summam auctoritatem infringere nequit errorum haereticorum turpitudo. Errores potius id efficiunt, ut veritatis mortalium mentibus concipiendae magis magisque explanetur notio, neque valere possunt, si ipsius veri prorsus sunt expertes.[a]) Contra ea, quae illis vera continentur, si ad doctrinam ecclesiasticam emendandam magni fuerunt momenti, ejus luci quum non jam obducere debeant tenebras, fieri non potest, quin evanescant. Neque vero primae aetatis patribus et iis, qui paullo postea vixerunt Christianis, illa lex imposita est, ut nobis abolita esse videretur, sed omnium temporum hominibus, qui sacra Christiana sequuntur, singulis. Eadem omnibus ad salutem impetrandam via inuenda est; eadem ut tranquillis animis et quietis fruantur, suscipienda pericula; eadem ad fidei vim firmandam certamina repetenda. Sed non omnium aetatum de iisdem dogmatibus esse solet dimicatio, neque eorum, qui diversis temporibus vivunt, aeque acris quasi pugnarum impetus. Alia enim sunt magis perspicua et ad intelligendum faciliora, ut cogitandi studium a proposito minime aberret,

alia tantis difficultatibus obstructa, ut non sine multo labore possint amoveri. Inter quae habetur de sanctis sacramentis doctrina. De sacramentis enim a Jesu Christo institutis, cum non solum signa sint speciei cujusdam mortalium mentibus informandae, sed etiam vim divinam contineant, omnino fieri non potuit, quin, quo majoris momenti earum rerum altera hominibus esse videbatur, eo facilius existeret ingens modorum docendi diversitas. Atque cum prioris ecclesiae magistri de ratione, quae inter signum et notionem divinam intercederet, animo, ut ita dicam, simpliciore cogitaverint, neque accuratiorem ejus explicationem desideraverint, non tanta errorum quasi pericula fuisse subeunda, neque tanta certamina committenda, quis est, qui miretur? Sacrae Scripturae loci legebantur, facili negotio exponebantur, eorum sententiae verae intelligi videbantur. Sic de sancta Eucharistia, quae Christianae antiquitatis ultimis temporibus tradita sunt, ea multo propius ad veram notionem a Luthero evolutam accedere videntur, quam quae medii, quod vocatur, aevi de ea comminisci tentaverunt ecclesiae doctores. Medio vero aevo, quo accuratior dogmatum cognitio a multis acquisita est, saepissime accidit, ut, qui id contendebant, in maxima, quae undique imminebant, adducerentur discrimina. Error enim ea aetate natus si multorum praeceptorum nitebatur auctoritate, ut communi ecclesiae consensu comprobaretur, eo facilius inveteravit, quo magis paparum, qui de eo idem senserunt, laedere reformidaverunt majestatem. Quicunque enim errorem illorum decretis sancitum aspernari audebant, cum leges, quibus res ecclesiasticae continentur, negligere viderentur, non solum poenas acerbissimas committebant, sed etiam in plurimorum odium irruebant et offensionem.

Quae cum ita sint, quoniam de errorum, qui media aetate doctrinam Christianam de Eucharistia turpaverunt, origine, natura, calamitate inde enata pro viribus disputabo, de totius operis quod ad ejus Sacramenti historiam exponendam conscribam, ratione et argumento breviter disserendum arbitror. Terminum igitur, a quo initium sumendum sit, saeculum sextum constituo. Ex Gregorii enim Magni, qui eo saeculo extremo vixit, temporibus magna, si prioribus conferimus, de coena Domini sententiarum diversitas orta est, earumque, quae postea de ea ferebantur, communis parens fuisse mihi videtur. Duo autem membra, in quae disputatio ipsa dispertienda sit, ecclesiae Latinae et Graecae opiniones diversas esse, cum in-

tellexerim, de Latina tam accurate disputandum esse censeo, ut, quae praeterea de Graeca ejusque commentis commemorentur, perpauca habeantur. Itaque ne saepe idem argumentum repetatur, de ecclesiae Latinae erroribus multo copiosius et abundantius loquar, et quae de Graeca retractanda erunt, ea illo loco praetermittam. De qua, quemadmodum de haereticis in utraque ecclesia exortis ut minus multus futurus sim in erroribus enarrandis, eorum, quae in scribendo opere adhibenda sunt, adjumentorum me commovet nimis magna penuria. Etenim etsi haereticorum erroribus perversis investigandis maximam me dedisse operam eosque, qui de iis lucem afferre videbantur, libros perlegisse profiteor, tamen, quid de sancta Eucharistia senserint, raro comperi aut apud illos, qui de mediae aetatis haereticis libros composuerunt, scriptores pauca et fere de omnibus eadem inveni. Quam ob rem totius operis partis, quam tam lacunosam esse equidem vehementer doleo, magna brevitas[b]) ne meae negligentiae, sed praesidiorum inopiae tribuatur, etiam atque etiam rogo. — Quod vero ex ipsis libris illorum hominum, quorum opiniones mihi erunt recensendae, multa excerpta afferam, id quidem animo intendo, ne sententiarum intelligentia, quam nullo modo melius quam scriptorum verbis proponendis enodari posse duco, ex eo, quod de iis faciam, pendere videatur judicio.

Sed jam ad proposita aggredior. Primum igitur de Latina ecclesia et quidem de eo, qui primus in ea exstitit, sacrificii missae errore disputare statuo.

a) Cf. Marheineke: Die Grundlehren der christlichen Dogmatik als Wissenschaft. Vorrede p. XXXI.

b) Cf. §. 25.

A. ECCLESIA LATINA.

I. SACRIFICIUM MISSAE.

I. ORIGO EJUS ERRORIS.

§. 1.

Jam antiquissimis temporibus[a]) Christiani pro sacris, quae maxime Deo placerent, virtutem et pietatem, et quae inde nasceretur, precationem Deo faciendam habendas esse decreverunt (I. Chorinth. V. 7. I. Petri III. 18. Hebr. IX. 26. X. 12.). Itaque plurimi ejus aetatis scriptores, ut improbitatis suspicionem, quam ratione religionis contra se commoverant, apud paganos diluerent, virtutis Christianae documenta τροπικῶς sacra Deo offerenda nominare non omittebant[b]). Quod nomen sanctae Eucharistiae quoque impositnm esse, eo minus nobis mirum esse debet, quod sacrarum caerimoniarum ejus tributio omnium summa esse putabatur. Quam ob rem Justinus Martyr[c]) Eucharistiam multis locis τροπικῶς sacrificium appellavit, quod cum populo adstanti daretur, Deo pro tot tantisque beneficiis, quae et iis, que ad vivendum necessaria essent, procreandis, et Jesu Christi morte expiatoria efficienda in Christianos contulisset, laudes gratesque haberentur. Quae communis sermonis consuetudo paullatim id effecit, ut, quod antea τροπικῶς dici solebat, id vocabulum jam Irenaei[d]) temporibus proprie diceretur. Etenim ut Judaei ex omnibus iis, quae possidebant, primitias in aris offerre debuerant (Deut XXVI. 1—11), ita Christianorum esse videbatur, Deum non solum precibus et hymnis, sed etiam sacrificio quodam vero offerendo placare. Sic igitur Irenaeus saepissime Christianos, ut in V. T. sancitum sit, oblationes, „quae inter Eucha„ristiam distribuendam ad sacerdotum et pauperum naturae „desideria satianda in ara ponantur", immolandae victimae loco quodammodo sacrificare debere judicat. Quod judicium eo magis probari coeptum est, quod sensim eadem ratione, qua apud Judaeos sacerdotes, inter Christianos clerici praestare putabantur, ut soli munera a fidelibus oblata conse-

crare posse viderentur[f]). Id vero tantum aberat, ut postea rejiceretur, ut a clarissimis doctrinae Christianae doctoribus satis accurate traderetur, adeo ad mortuos eorumque tranquillitatem referretur.[g])

a) In universum cf. Staeudlin in Gölting. Bibliothek der neuesten Theol. Litter. tom. II: Geschichte des Dogmas vom Opfer im Abendmahl pag. 159—199; pag. 317—356. Neander Kirchengesch. I pag. 329—393 — Eusebius de vita Constant, IV. cap. 25 — ἀναίμους καὶ λογικὰς θυσίας τὰς δι' εὐχῶν — Clem. Alex. stromata VII. p. 860. edit. Oxon. Αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν. Ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, πρό τε τῆς κοίτης, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ πάλιν. cf. Bingham origg. vol. VI. p. 12. sq.

b) Vide locos apud Graeserum: Die Römisch-Katholische Liturgie nach ihrer Enstehung und endl. Ausbildung. Halle 1829. tom I. pag. 28. 29; Staeudlin ll. p. 165.

c) Dialogus cum Tryphone Judaeo §. 116. 117. Apolog. I. §. 67. 13. 5. 65.

d) Irenaeus: Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως V. cap. 17. §. 5. cp. 18. §. 1. 2. 3, 4. 6. Opp. ed. Grabe.

e) Cf. Chemnitii examen conc. Trident. p. 348. Ed. Genev.

f) Cf. Staeudlin ll. p. 171—179. et locos ibi allatos; Graeser ll. p. 16. §. 4.

g) Tertullianus de corona militis cp. 3. (V. Staeudlin ll. p. 183) commemorat in ecclesia africana morem esse, ut pro mortuis diebus, quibus a vita excesserint, quotannis oblationes fiant, eaeque ob eam causam, quod mortui sint. Cyprianus cp. I. 9. „Antecessores nostri salubriter censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.“ IV. 5. „Sacrificia pro iis semper offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversarios commemoratione celebramus“ — Quos locos Bingham origg. lib. XV. cap. II. §. 2. Volum. VI. p. 256 ita interpretandos esse putavit, ut, cum oblationes facere non possent, nisi qui sacrorum communione uterentur, illas oblationes pro mortuis ob eam causam a propinquis factas esse contenderet, ut e Christianorum societate eos minime exemtos, sed etiam post mortem ecclesiae catholicae socios esse declararent. (Hospinianus histor. sacrament. tom I. p. 152. adeo „Sacrificium pro dormitione celebrare“ interpretatur nomen alicujus in precibus sacerdotum, quae in Eucharistiae celebratione fiebant, nominare; et p. 153. ostendere conatur, praepositionem pro non accipiendam esse pro eorum commodo, sed pro causa — quod quidem vanum est.) Eam vero notionem non inesse posse in illis locis luculenter ostendit Staeudlin ll. p. 186. 187. (cf. August. de civitate Dei, lib. VIII. cp. 27. p. 255. ed. Tauchn).

§. 2.

Nam quemadmodum secundum naturam hominum, qui de amicorum et propinquorum morte afflicti, — quibus eorum desiderium levare possint, lenimenta quaedam quaerere solent, apud Graecos et Romanos instituta fuisse legimus convivia, sacra, ludos funebres, alia id genus permulta:

sic ex ea paganorum consuetudine Christiani ad funebria spectacula et mortuorum memoriam celebrandam cibos aliaque munera offerebant. Potissimum vero diebus martyrum[a]) nominibus consecratis et eae oblationes fieri et ipsa Eucharistia in sepulcris fidelibus tribui et mortius hoc consilio apponi solebant, ut, qui sacramenti vivi non esse possent participes, eorum memoriam renovarent gratissimam, ipsi autem denuo se devoverent redemtori,[b]) et viam in coelum muniendam sibi aperire studerent. Quo studio flagrantes in eum errorem inducti sunt, ut alii in eorum tutelam et fidem se conferre cupientes, quos in sanctorum numerum adscriptos esse sibi persuaserant, martyres nimis magna pietate colerent, alii vero illos Deo suis precibus commendarent, quos minus sancte in terra vixisse non ignorabant. Sensim enim a vera via deflexerunt, et superstitionis exitialis veneno imbuti, quae ad recordationem excitandam instituta erant, ea ad ipsas mortuorum animas salvandas retulerunt et orationibus, eleemosynis, oblationibus, quae in terra fierent, suppliciis acerbissimis, quae post mortem subeunda essent, celerrime eas liberari putaverunt. Etenim sicut ab initio administrationem, consecrationem, dispensationem patres vocaverant sacrificium: sic cur ipsi illius coenae actioni[c]) idem nomen impositum sit, ab eorum virorum studio causa repetenda est, qui ex saeculo quarto de ratione, quae intercederet inter vinum et sanguinem, panem et corpus Jesu Christi, multo subtilius, quam antea fieri solebat, disputaverunt. Nam cum, quae fides conceperat, ea cognitio quasi procreare conaretur, ea aetate plurimi doctrinae Christianae exstiterunt magistri, qui sacramenti altaris symbolicam notionem aeque ac transsubstantiationem aspernarentur, veram autem a Luthero postea restitutam substantialis praesentiae doctrinam traderent. Sed quemadmodum saepissime vera falsis confunduntur: sic in divina Eucharistia quoque corpus et sanguinem Christi, quae praesentia sunt, offerenda eoque ritu Christi cruentum sacrificium renovandum esse falso opinabantur. Etenim quae vocabula prius τροπικῶς dicta esse certum est, velut: victimam salutarem, hostiam puram, pretium redemtionis nostrae, quaeque apud ipsum Augustinum nonnullis locis ejusdem notionis esse profitemur, ea paullatim Christiani ea sententia usurpare coeperunt, ut pane et vino consecrandis sacrificium a Jesu Christo peractum renovari arbitrarentur. Ab initio enim Eucharistiae distributio nihil aliud erat, nisi imago quaedam satis vivida salvatoris mortis expiatoriae,

cujus in Christianorum animis tantopere infixa erat memoria, ut cum ad sacram coenam accederent et panem vinumque acciperent, quae corporis oculo adspiciebant, eorum summa mentis intentione reputarent notionem. Namque quemadmodum opus egregia arte confectum divinae cujusdam speciei (ἰδέας) quasi figuram in conspectu ponit mortalium et ejus rei, quam animo et cogitatione complectimur, formam, ut ita dicam, adumbrat: sic Eucharistia illius μυστηρίου figura erat Christianis, qui cum illo sacramento percipiendo arctissimae internae conjunctionis vincula cum salvatore contraherent, divinae illius veritatis expressam videre cuperent imaginem. Attamen mox factum est, ut, qui visis, quae sensibus percipiuntur, nimis multum tribuebant, summae cogitationis, cujus quasi formam externam cognoscebant, omnino negligentes, ipsam Eucharistiam oblatam ad Deum placandum valere, existimarent. Qua de causa in mentibus mortalium, qui magis magisque a vero abalienarentur, perniciosa illa de suffragiis vivorum pro mortuis paullatim haesit opinio, quae esti nullo pietatis fundamento nixa neque ulla S. S. loci auctoritate confirmata est, tamen ne ab iis quidem ecclesiae magistris improbaretur, quos ingenti acumine disserendique subtilitate praeditos fuisse accepimus.

a) Cf. Hospininianus hist. saeram. tòm I. p. 150. — Testatur id etiam Augustinus lib. VIII. de civit. Dei cap. ult. his verbis: Quicumque etiam epulas suas ad memorias martyrum deferunt, cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur vel ex iis etiam indigentibus largiantur. Et lib. VI. cp. II. refert: matrem suam ad memorias Sanctorum attulisse Mediolani panem et merum. Chemnitii examen p. 135.

b) Cf. Chemn. examen p. 348. b.

c) Cf. Chemn. ex. p. 349: — „Secundo actio coenae dominicae veteribus vocatur sacrificium, oblatio, immolatio, quia coena dominica celebratur et usurpatur in memoriam seu commemorationem unici sacrificii Christi in cruce semel peracti. Ita Augustinus in lib. sentent.: cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur? De fide ad Petr. cp. VIII. et contra Faustum lib. XX. cp. 18. haec tria inter se confert: sacrificia Levitica, sacrificium Christi in cruce, et immolationem corporis ejus in coena, et inter haec talem ostendit differentiam: in cruce redditum fuisse in veritate sacrificium corporis et sanguinis Christi, in veterum sacrificiis fuisse figuras et similitudines, promittentes futurum Christi sacrificium; in coena domini per sacramentum memoriae celebrari memoriam seu commemorationem et gratiarum actionem perfecti et consummati sacrificii Christi in cruce. Et ad Bonifacium cp. XXIII. item cp. CXX. ad Honoratum tractat exempla, quod illud, quod alicujus memoriale est, propter similitudinem saepe ejus rei, cujus memoriale est, nomen accipiat ut appropinquante Paschate dicimus: cras aut perendie est passio Christi, cum semel tantum ante multos annos sit passus. Ex (Et?) die dominica dicimus: hodie Christus re-

surrexit; propter similitudinem enim dies ille id esse dicitur, quod tamen non est. Et postea subjungit: nonne Christus semel oblatus est, et tamen in sacramento quotidie populis immolatur? Nec mentitur, qui dicit Christum immolari. Si enim sacramenta non haberent similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, nullo modo essent sacramenta; sed ex similitudine saepe nomina earum accipiunt.

d) Cf. Liturgia Leonis I. — quae ea forma, qua nunc habetur, non ab eo conscripta esse videatur — apud Assemanni Cod. liturg. lib. IV. pars III. p. 32. „Remotis obumbrationibus carnalium victimarum spiritalem Tibi, summe pater, hostiam deferimus, quae miro et inneffabili mysterio et immolatur semper, et eadem semper offertur, pariterque et devotorum munus et remunerantis est praemium. V. Staeudlin II. p. 332. Hospinian. tom I. p. 527. Chemn. exam. p. 350.

§. 3.

Quin etiam ne ea, quae ad Dei iram leniendam fieri debere existimaverunt, ad eos mortuos, qui ingenti, qua mala tulerant, animi patientia apud omnes valebant plurimum, summa reverentia et pietate, qua a Christianis martyres cultos esse supra diximus, paullatim referrentur, tam nihil prohibere studuerunt, ut orationibus et laudibus, quibus divinae constantiae viros efferre consueverunt, populum minime invitum ad memoriam renovandam excitarent.[a]) Etenim cum ex ultimis Christianiae aetatis temporibus summi martyribus honores haberentur,[b]) ita ut primum in ipsis sepulcris, (Vid. supra) fideles congregarentur, verbum Dei traderetur, sensim vero sacramenta, potissimum Eucharistia distribuerentur: fieri non potuit, quin, quae de eorum intercessione et ea, qua apud Deum pollerent, auctoritate commenta erant, ad doctrinam sinceram de coena sacra depravandam vim haberent maximam. Nam etsi apud Augustinum,[c]) quem earum opinionum, quae ante tempora Gregorii magni exstiterunt, summum auctorem ducimus, nullus librorum inveniatur locus, qui cum inferioris aetatis doctorum pontificiorum sententiis omnino consentiat: tamen et ipse fiduciam, quam Christiani in martyrum meritis precibusque collocent, minime improbat et de illorum consuetudine multa commemorat,[d]) quae ecclesiae catholicae missarum in sanctorum honorem habendarum semina putanda sint. Namque quanquam certissimum est, ab initio Christianos pietati, qua precationes facerent, et beneficiorum a martyribus in se collatorum memoriae plurimum tribuisse, nihilominus, tempore procedente, voluntatis ratione non habita, ipsis precibus et oblationibus, si illorum favorem sibi colligerent, vel maxime adjuvari posse animas, jam Augustini aetate plerosque putavisse, nemo est, qui infitietur. Est

enim in natura hominum quasi innatum atque insitum, ut res divinas externis lubenter connecterent, ut, si ab iis separarentur, nullius illas pretii esse ducerent. Atque cum summa mala, ingentes dolores perpeti, multo facilius sit, quam vitae mores pravique animi voluntatem ita commutare, ut divinae semper congruat: Christianos ad veniam pro peccatis impetrandam oblationes et eleemosynas martyrum nominibus summo studio consecrasse, quis est, qui miretur? — Quae flagrantissimo desiderio et ea, qua salvatorem amplecterentur, caritate ut homines conscientiae angoribus agitati sibi compararent, Deus omnipotens voluit, ea sacris et ipsi et martyribus faciendis consequi studuerunt. Quo accedit, quod cum de poenarum post mortem luendarum ratione et loco superstitiosae opiniones animorum aciem quasi caligine quadam praestringerent, non solum vivi pro ipsorum animis, sed etiam pro mortuorum oblationes celebrare ausi sunt. Verisimile enim est, jam ante Augustini aetatem de purgatorio doctrinae stirpem et semen in mortatium mentibus latuisse, illius vero summae auctoritatis magistri nonnullis librorum locis processisse.[e]) Quem enim Origines in extremo judicio ad animas peccatorum sordibus purgandas excitaturos esse, tradiderat angelos, is ignis Augustinus statim post mortem iis hominibus, qui scelerum vitiorumque sibi conscii essent, fore ut accenderetur, eo minus dubitavit, quo magis hominum naturam depravatam et flagitiorum turpitudine inquinatam esse sibi persuaserat. Itaque cum suppliciorum animis subeundorum quasi imaginem quandam cogitatione depingere vellet, nullum autem S. S. locum inveniret, quo de mortuorum, qua versarentur, conditione nonnulla aperirentur, illum ignem purgatorium, cujus flammae oblationibus celebrandis exstinguerentur, ad peccata expianda jam post mortem Deum esse excitaturum, interdum significare non omisit. Nam cum mortuos universos in tres ordines divideret, in quorum altero ii haberentur, qui propter fidem et morum sanctitatem fruerentur vita aeterna, in altero autem, qui vitiis et flagitiis corrupti, felicitatis spem conciperent nullam, tertium ingentem numerum eorum conficere docuit, qui inter duos ordines medii interpositi, neque tanta pietate excellerent, ut suffragiis post mortem non indigerent, neque ingenio essent tam malo pravoque, ut illa sacraficia altaris et eleemosynarum, quibus poenarum quasi oneribus levarentur, prodesse non possent. „Etenim, cum multi contenderent“ inquit summus Chemnitius,[f]) „ora-

tiones pro mortuis, quas non inanes esse praesumebant, adeo esse efficaces, ut per eas etiam illi, qui sine poenitentia in peccatis contra conscientiam mortui essent, Deo post mortem reconciliarentur et salvarentur; alii vero ex Scriptura et ex veterum sententia contra disputarent, unumquemque post hanc vitam ita judicari, prout in hac vita se gessit, et orationes pro mortuis esse vivorum commonefactiones, confessiones, consolationes: Augustinus satisfacturus utrisque, mediam quandam viam excogitavit, etsi modo persuasionem illam de impoenitentibus posset tollere, aliquid putavit vulgi opinionibus de efficacia orationis pro mortuis concedendum esse.“ Itaque quae postea ecclesia catholica docuit, ipse significasse videtur, pro iis, qui neque sceleribus nimis essent depravati, neque virtutis constantia excellerent, piorum precibus et Eucharistia offerenda Deum commoveri, ut ex purgatorio igne, cujus flammis terrerentur, multo libentius animas eriperet.

a) Cf. in universum Chemn. examen p. 353—355.

b) Cf. Eubesius praeparatio evang. XIII. 11. *Καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ θεοφιλῶν τελευτῇ, οὓς στρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἰπὼν, παραλαμβάνεσθαι. Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων.* v. Gieseler: Lehrb. d. Kirchengesch. tom I. p. 505 et 300.

c) Augustinus non omnino sibi constans est. Nam de civitate Dei VIII. 27. (tom I. p. 255 edit. Tauchn) „Nec tamen“ inquit „nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio falsis fictisque convictis, quod etiam si qui antea sentiebant timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: offero Tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane ect.“ Et XXII. 10. (tom II. p. 380 edit. Tauchn): „nos autem martyribus nostris non templa sicut Deis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: neque ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed Uni Deo et martyrum et nostro sacrificia immolamus; ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur.“ Aliis vero locis fere eosdem, quos Deo ipsi, honores iis tribuit. Cf. De cura gerenda pro mortuis ep. XIII. V. Gieseler l. l. p. 509. (Theodoreti graec. affect. curatio disput. 8. (ed. Schulze T. IV. p. 902: v. Gieseler l. l. p. 514.): *αἱ μὲν γενναῖαι τῶν νικηφόρων ψυχαὶ περιπολοῦσι, τὸν οὐρανὸν, — τὰ δὲ σώματα, οὐχ εἷς ἑνὸς κατακρύπτει τάφος ἑκάστου, ἀλλὰ πόλεις καὶ κῶμαι ταῦτα διανειμάμεναι, σωτῆρας καὶ ψυχῶν καὶ σωμάτων, καὶ ἰατροὺς ὀνομάζουσι, καὶ ὡς πολιούχους τιμῶσι καὶ φύλακας. — Καὶ οἱ μὲν ὑγιαίνοντες αἰτοῦσι τῆς ὑγιείας τὴν φυλακὴν· οἱ δὲ τινὶ νόσῳ παλαίοντες, τὴν τῶν παθημάτων ἀπαλλαγήν· αἰτοῦσι δὲ καὶ*

ἄγονοι παῖδας, καὶ στέριφαι παρακαλοῦσι γενέσθαι μητέρες. — Καὶ οἱ μὲν εἰς τινα ἀποδημίαν στελλόμενοι λιπαροῦσι τούτους ξενοδευπόρους γενέσθαι, καὶ τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνας· οἱ δὲ τῆς ἐπανόδου τετυχηκότες, τὴν τῆς χάριτος ὁμολογίαν προσφέρουσιν· οὐχ ὡς θεοῖς αὐτοῖς προσιόντες, ἀλλ' ὡς θείους ἀνθρώπους ἀντιβολοῦντες, καὶ γενέσθαι πρεσβευτὰς ὑπὲρ σφῶν παρακαλοῦντες· ὅτι δὲ τυγχάνουσι, ὧνπερ αἰτοῦσιν, οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα· καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. p. 923: τοὺς γὰρ οἰκείους νεκροὺς ὁ Δεσπότης ἀντεισῆξε τοῖς ὑμετέροις θεοῖς· καὶ τοὺς μὲν φρούδους ἀπέφηνε, τούτοις δὲ τὰ ἐκείνων ἀπένειμε γέρα· ἀντὶ γὰρ δὴ τῶν Πανδίων, καὶ Διασίων καὶ Διονυσίων, καὶ τῶν ἄλλων ὑμῶν ἑορτῶν Παύλου καὶ Θωμᾶ καὶ Σεργίου — καὶ τῶν ἄλλων μαρτύρων ἐπιτελοῦνται δημοθοινίαι.

d) de civit. Dei VIII. 27.

c) Cf. loci de Augustini sententia de purgatorio apud Marheineckeium Institutiones symbol. p. 72: Erchiridion, cp. 67—69. de fide et operibus cp. 16. decivitat. Dei 21. 26. quibus adde: lib. de octo quaestionibus ad Dulcitium §. 13: Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest, et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari.

f) Examen p. 543. cf. Hospinian hist. sacram. T. I. p. 155.

II. NATURA EJUS ERRORIS.

§. 4.

Quorum errorum semina, mentium quasi opimae et fertili terrae mandata, ut minus difficulter animarentur celeriusque prodirent, adeo per universam aetatem mediam radices agerent, Gregorii, magni romani, pontificis effecit auctoritas. Is enim, quamvis ingenti esset meritorum magnitudine eximiaeque erga Deum pietatis laudibus jure efferatur, tamen religionem Christianam plurimis opinionum commentis foedasse, Christianorumque animos turpissima superstitione imbuisse dicendus est. Potissimum vero summi altaris sacramenti dignitatem ritibus et caerimoniis falsis et perversis instituendis tantum abfuit, ut amplificaret, ut divinae veritatis claritudini tenebras offunderet. Etenim etsi veram de Eucharistia doctrinam traderet, ut corporis et sanguinis praesentiam substantialem probasse videretur,[a]) tamen, quae de vi sacrificiali ab iis, qui mentem a sensibus avocare non possent, antea effictae erant, eas opiniones non modo non tollebat, sed etiam auctoritate sua confirmatas augebat. Pro Basilii enim et Chrysostomi,[b]) quae vocantur, liturgiis, quarum quantum iis, a quibus integrae profectae esse non possunt, doctoribus tribuendum

esset, dubitatum est, eam composuit, quam nomine Gregorianae sive Romanae usque ad nostram memoriam omnes ecclesiae catholicae sequendam decreverunt.[c]) Quae eodem modo, quo nunc est, a Gregorio magno conscripta esse non potest: cujus rei ratio haec gravissima est, quod nonnulla, quae Rhabanus Maurus[d]) de suae aetatis ritibus commemorat, differunt a praeceptis, quae hodie in ea leguntur. Quae quidem liturgia praeter multa de indumentis, caerimoniis praecepta, velut de sacerdotis capitis compositione et manuum lotione, de accessu ad altare, de osculo altaris et libri, de thurificatione ect. etiam Canonem Missae sive Sacramentarium continet, ex quo, quid de sacrificio Christi, quod fit Eucharistia offerenda, ecclesia catholica sentiat, optime intelligi potest, quam ob rem integrum eum adscribam. Legitur vero apud Hospinianum hunc in modum:[e])

> „Te igitur, clementissime pater, per Jesum Christum filium tuum, dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata: in primis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, uno cum famulo tuo, Papa nostro N. et Rege nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus."
>
> „Memento Domine famulorum tuorum famularumque et omnium circumstantium, quorum Tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus Tibi offerimus, vel qui Tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae Tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero."
>
> „Communicantes et memoriam venerantes, imprimis gloriosae, semperque virginis Mariae, genetricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum et martyrum tuorum (sequuntur nomina eorum) et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis, precibusque concedat ut in omnibus protectionis Tuae muniamur auxilio per eundem Christum, dominum nostrum."
>
> „Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine, ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuo-

rum jubeas grege numerari per Christum dominum nostrum."

„Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneres, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii tui, domini nostri Jesu Christi."

„Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas et venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad Te Deum patrem suum omnipotentem, Tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens: accipite ac manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum."

„Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas et venerabiles manus, item Tibi gratias agens, benedixit, dedit, dedit discipulis suis dicens: accipite et bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, quod pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis."

„Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, quod Tibi obtulit summus sacerdos noster Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam."

Unde et memores sumus, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta, Christi filii tui Dei nostri, tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae adscensionis offerimus praeclarae Majestati tuae, de tuis donis et datis: Hostiam puram, „hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae et calicem salutis perpetuae.

„Supplices Te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti angeli Tui in sublime altare Tuum in conspectum divinae majestatis Tuae, ut, quotquot in hac altaris participatione sacrosanctum filii Tui corpus et sanguinem sumserimus, omni benedictione coelisti et gratia repleamur, per eundem Christum dominum nostrum."

„Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis, ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lu-

cis et pacis, ut indulgeas deprecamur, per eundem dom. n. J. Chr."

„Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum Tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum Tuis sanctis apostolis et martyribus (seq. nomina) et omnibus Sanctis Tuis, intra quorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte p. Chr. d. n."

„Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, virificas et benedicis et praestas nobis; per ipsum et cum ipso et in ipso est Tibi patri omnipotenti, in unitate spiritus sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen."

(sequitur oratio dominica.)

„Sanguis domini nostri J. Chr. custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen."

„Corpus Tuum, Domine, quod sumsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem sancta et pura refecerunt sacramenta."

Quod ore sumsimus Domine, pura mente capiamus et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum."

„Placeat Tibi, sancta Trinitas, hoc obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis Tuae majestatis ego indignus obtuli, sit Te miserante propitiabile, per. Chr. d. n. Amen."

Est vero is canon missae[ee]) non a Gregorio magno ex ipsius testimonio[f]) compositus, sed non nihil mutatus[g]) ejusque auctoritate confirmatus, adeo ab iis, qui illi successerunt, pontificibus nonnullis locis inculcatus. — Cui canoni si conferimus ea, quae in ipsius libris[h]) de ea re leguntur, ex Gregorii sententia Eucharistia offerenda sacrificium Christi ad Dei viam placandam renovari, ita ut eandem vim, quam salvatoris in crucem sublati acerbissimae morti, ejusmodi caerimoniae tribuerit, luculenter apparet. Atque in ea re ab iis, qui ante se vixerunt, ecclesiae patribus potissimum dissensit, quod non erga Dei pietati vitaeque sanctimoniae, quae ad oblationes celebrandas commoverent, sed solis ritibus maximum pretium statuit. Quae sententia omnium, quae postea orta sunt, opiniorum commentorum origo fuisse perhibetur. Nam cum ea, quae Augustinus conjectura assequi studuerat, de igne post mor-

tem purgatorio, praecipue miraculis permultis prodigiisque, de quibus audierat, inductus, ita probaret, ut etiam dogmatis auctoritatem S. S. confirmare conaretur, non tam ad solemnes mortuorum memorias renovandas, quam ad animas ex ignium flammis eripiendas Eucharistiam offerendam decrevit[i]) Sic multa in honorem Sanctorum et ad mortuorum salutem augendam missarum genera inventa sunt, quae quantopere ad vitae sanctitatem polluendam et verae erga Deum pietatis quasi nervos illidendos valuerint, infra ostendemus. Quin etiam populis, qui ad fidem Christianam transierant, ejusmodi caerimonias a religione Domini alienas obtrusit, quosque a superstitione liberare sibi visus est, eorum animos alia imbuit.[k]) Cujus radices tollere, eo difficilius erat, quo magis ii, qui Gregorio successerunt, pontifices id omnes contendebant, ut nova instituta adderent rituumque pompam exornarent. Sic Gregorius secundus missam in nullo loco, nisi in dedicato et consecrato celebrari et tempore quadragesimali in quintis feriis simul jejunium fieri; Gregorius tertius duos vel tres calices contra salvatoris praeceptum in aris collocari; Sergius in missa adhiberi jussit patenam in margine gemmis obsitam, pretiosa cruce instructam, item thymiaterium aureum, in quo suavissimus odor in missarum muneribus obeundis accenderetur, alii alia instituerunt.[l]) Transsubstantiationis vero dogmate probato (de quo infra fusius exponemus) de sacrificio missae doctrina ita immutata est, ut a sacerdote missam celebrante, immortalis Dei filius in altari praesens Deo patri revera sacrificii loco offerri ejusque merita ipsa Eucharistia in corpus et sanguinem consecratione transformata aliis hominibus applicari putarentur.

a) Gregorius verisimiliter symbolicam interpretationem et transsubstantationem aeque respuit atque praesentiam substantialem docuit. V. Opp. omnia cura et labore monach. ord. sanct. Benedicti II. tomi fol. tom. I. p. 1484. Homilia XIV. in evang: Fecit, quod monuit, ostendit, quod jussit. Bonus pastor animam suam posuit, ut in sacramento corpus suum et sanguinem verteret et oves carnis suo alimento satiaret. Cf. Dialogi IV. 58. Attamen et Hospin. p. 252 et 53 et Basnage: Histoire de l'Église p. 877 in suas partes eum trahere conantur, tanquam reformatorum sententiae faverit, quod fieri non posse, manifestum est; rectius Natalis Alexander: Historia ecclesiae V. et N. T. tom VII. p. 499. transsubstiationis dogma ei tribuendum censet; sed cum res ad liquidum perduci non possit, in media sententia utrinque reducta permanendum esse videatur. Cf. praet. Marheinecke: Sanctorum patrum de praesentia Christi in coena domini sent. trip. p. 63.

b) Cf. Hospinian. l. l. p. 107. Graeser: die röm. kath. Lit. tom I. p. 34. Schroeckh Christl. Krchengsch. tom X. p. 425. Chemn. examen p. 358. Natalis Alexander: Hist. eccl. V. et N. T. tom VI. pag. p. 415.

c) Vide liturgiam integram apud Hospin. I. p. 196—244.

d) Rhabanus Maurus Institt. libr. II. cp. 33.

e) Hospin. l. l. I. p. 227.

ee) l. l. I. p. 225.

f) Espistolarum VII. 63. „Quidam nomine scholastici precem illam composuit, quae supra Eucharistiam secreto dicitur.“ Quis vero ille scholasticus fuerit, quoque tempore vixerit, de ea re est magna sententiarum diversitas. Cum Gregorius ab initio ad Eucharistiam consecrandam orationem dominicam adhibitam, postea obolitam esse, ejusque locum preces illas a scholastico compositas tenuisse professus sit, Bellarminus de Missa lib. II. cp. XIX. p. 1060. ne apostolorum auctoritas ab inferioris aetatis homine quodam infracta esse videretur, Petrum apostolum, Bona vero Rerr. liturg. II. cp. 11. tit. III. p. 610 virum quendam doctum ante Gregorii aetatem componere coepisse, hunc vero finem ei imposuisse putaverunt, quorum utrumque summa eruditione refellit Basnage: Hist. de l'Egl. p. 872. qui argumentis plurimis nonnulla etiam post Gregorium ab aliis pontificibus addita esse ostendit, ex quibus quid cui tribuendum esset Hospin. l. l. p. 227 — 42. maxima diligentia perscrutari studuit. cf. Chemn. l. l. p. 356.

g) Gregorius formulam precum scholastici probavit, orationem vero dominicam restituit.

h) Cf. Sancti Gregorii Pap. I. cognomento magni Opp. omnia. Ad munuscriptos codices romanos, gallicanos, anglicanos emendata, aucta et illustrata notis. Studio et labore Sanct. Bened. Par. II. Tom. fl. v. Tom. II. pag. 472: Dialogi IV. 58: „Debemus itaque praesens saeculum vel quia jam conspicimus defluxisse tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab interno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur; tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non tam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo J. C. mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri.

i) l. l. IV. 39. Opp. II. p. 442. Qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio praesentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit, quia, si quis in sancto spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, qnasdam vero in futuro posse laxari. Sed tamen, ut praedixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo; — — — quae cuncta etiam post mortem gravant si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. II. p. 464. Dialogi IV. 55. Petrus: Quidnam ergo esse poterit quod mortuorum valeat animabus prodesse? Gregor: Si culpae post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiae salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnumquam ipsae defunctorum animae expetere videantur. (Narrat deinde, duas mortuorum animas in terra apparuisse, ut hostiam ad tranquillitatem ipsis utilem offerri juberent.)

k) Cf. Centuriae Magdeburg. VIII. p. 367: „Gregorius ad Bo-

nifacium scribit, Christianos pro suis mortuis vere Christianis posse offerre, sacerdotesque mortuorum facere mentionem jubet. Quod Bonifacius sedulo est exsecutus. Cf. ejus epist. ad Aldhuinum: ut pro dormientium fratrum animabus, quae nobiscum adjuvabant in Domino, adjuvamina et missarum solennia celebrare faciatis, quorum nomina gerulus harum litterarum ect.

i) Cf. Hospin. l. l. I. 194. et singula singulorum paparum decreta, quae adscribere longum est, vide apud eund. Hospin. I. p. 192 sq. Centuriae Magdeburg. VIII. p. 301. IX. p. 245. X. p. 305.

III. CALAMITAS INDE ENATA.

§. 5.

At enim et ejusmodi de Eucharistiae sacrificio doctrina et de ritibus praeceptis plurimis ipsorum sacerdotum, qui ne quidquam regularum praetermitterent, cavere cogerentur, mentis aciem hebetari et populi adstantis, — cui eorum ratio omnino obscura erat, animum superstitionibus impleri debuisse commentitiis, quis est, quin intelligat! Sacerdotes enim quo majore ingenii tarditate et socordia a rebus divinis cogitatione comprehendendis avertebantur, eo facilius haud tolerandam sibi sumebant arrogantiam. Nam cum sacrificium Christi a se renovari posse opinarentur, populique peccatorum conscii apud Deum sibi esse viderentur interpretes, ipsorum vitiositatis obliti, et inter clericos ac laïcos maximum discrimen servandum et horum aut vivorum aut mortuorum salutem suis precibus a domino augeri aut imminui ducebant. Quo factum est, ut laïci, non minus suorum peccatorum quasi onere oppressi, quam sacerdotibus Eucharistiam tamquam tremendum mysterium distribuentibus reverentiam praestantes, ab ea fruenda paullatim recederent, et qui domini corpus acciperent, mox essent perpauci. (Quapropter nonnulla concilia velut Turonense tertium A. 813, ut certe ter quotannis ad domini mensam Christiani venirent, decreverunt.[a]) Nihilo tamen minus clerici et religiosi, de ea populi negligentia securi, sacra officia, quae, ut obirentur, legibus sancitum erat, non intermittebant,[b]) sed preces, lectiones, ceteros ritus plurimos, excepta consecratione et communicatione celebrabant. Quae est origo privitarum missarum. Sacerdotes enim missae officia conficientes, cum nullus alius adesset, — ne populi oblationibus, si siccam[c]) tantum missam administrarent, privarentur, soli communicare coeperunt. Itaque ut populum ad oblationes, quae ipsis quaestui essent, nihil

omittendas commoverent et periculum eorum, qui indigni sacramentum comederent, verbis exasperabant et in majus tollebant, et de utilitate atque commodo, quae ex privato illo opere ad absentes et praesentes redundarent, multa audebant comminisci. Quod institutum,[d]) quo nullo periculo, nullo negotio, solo opere operato, peccata remitti putabantur, populo eo magis placebat, quo libentius caerimoniarum pompam contemplari, quam mores voluntatemque immutare solebat. Est vero illud opus operatum ipsa actio externa sive caerimonia missae, ita ut omnis virtus missae in ipso opere, quo celebretur, constare, et missa gratiam conferre dicatur. Unde sequitur, ut in Eucharistia, simulatque consecrata sit, etiamsi non comedatur, divinam quandam sacramenti vim inesse putaverint. Quae quidem sententia turpissimam superstitionem et calamitates ecclesiae intulit miserrimas. Neque enim quidquam cogitatione effingitur, quod non missis celebrandis a Deo impetrari posse visum sit. Atque cum missae a sacerdotibus vendi, a laicis emi coepissent, ut etiam foedissima flagitia et scelera expiari posse viderentur, homines plurimi, qui et in Deum et in cives impie nefarieque commiserant, tantum abfuit, ut a perdita luxuria ad virtutem revocarentur, ut missis a clericis obeundis tantum tribuerent, quantum Deus verae fidei tribuendum decrevit; — cujus quidem opinionis nonnulla exempla afferemus. Sic scripsit Lullus monachus Fuldensis[e]) in epistola ad Denhardum: „Misimus vobis nomina domini Romani episcopi, pro quo unusquisque vestrum triginta missas cantet et psalmos et jejunia juxta consuetudinem nostram, similiter pro duobus laicis decem missas ûnusquisque vestrum cantet. — Illas missas, quae pro tempestatibus fieri solent, celebrare vos presbyteri recordamini.“ Pro valetudine quoque aegrotorum missarum munera administranda esse censuerunt. Nam pro eodem Lullo monacho psalmos decantatos et missas celebratas esse, ut pristinam sanitatem reciperet, Vigberti ad eum epistola indicat. Praeterea pro iis, qui stipendia mererent, ne mortis subirent periculum, missas solemnes institutas, apparet ex Caroli magni decreto:[g]) „Qui apud suas ecclesias remanent, pro nobis et cuncto exercitu nostro missas, litanias, oblationes, eleemosynas faciant.“ Quin etiam Leo quartus papa missa, aqua benedicta, circumitione Leopolin urbem, ut esset propugnaculum contra Saracenos, modo aedificatam lustravit et consecravit. Praeterea vero hominum, qui accusati erant, ad inno-

centiam explorandam Eucharistiam quoque adhibitam esse, saepe legimus. Sic enim Lotharium, Lotharii imperatoris filium, cum ut de Waldradae concubitu se excusaret magno cum exercitu Romam profectus esset, Hadrianus papa ad mensam domini accedere jussum ita allocutus esse fertur: „Si innoxium te cognoscis ab interdicto tibi a Nicolao adulterii scelere et hoc fixa mente stat, ut nunquam diebus vitae tuae Waldradae pellicis tuae miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede, et sacramentum salutis aeternae tibi ad remissionem peccatorum profuturum accipe. Si autem ita in mente tua posuisti, ut ad moechiae volutabrum redeas, nequaquam sumere praesumas, ne forte ad judicium et condemnationem tibi adveniat, quod dominus fidelibus suis ad remedium praeparavit." Similiter synodus Vormatiensis[i]) A. 868. coacta decrevit: „Saepe contigit, ut in monasteriis furta perpetrentur et qui committant, ignorentur, idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, missa ab Abbate celebretur vel ab aliquo, cui ipsi Abbas praeceperit, praesentibus fratribus: et sic in ultima missae celebratione pro expurgatione sua corpus et sanguinem Christi percipiant, quatenus se innocentes esse ostendant." Secundum quod decretum Fridericus archiepiscopus Moguntii, cum in conjurationis contra Ottonem I. factae suspicionem incurrisset[k]) A. 948, etsi morum ejus deformitas et vitiorum turpitudo apertae essent, corpore et sanguine domini percipiendo se liberasse dicitur. Ipse sanctus Bernhardus Claravallensis hostiae consecratae sanandi vim attribuit. Namque hominem quendam non procul a monasterio Claravallensi veneno ab uxore adultera gravissime infectum ad aram admoveri jussit, ejusque capiti hostiam consecratam imposuit, qua revera valetudinem restitutam esse refert ejus vitae scriptor. Atque **Gregorius** magnus, qui miraculis editis tribuit plurimum: Hoc quoque audivimus, inquit, quendam apud hostes in captivitate positum et in vinculis religatum fuisse, pro quo sua conjux diebus certis sacrificium offerret. Conjuge reverso quibus diebus ejus vincula solverentur, innotuit, ejusque conjux illos fuisse dies, in quibus pro eo sacrificium offerebat, recognovit. ect. (Sequitur deinde narratio, de nauta qui a naufragio divinitus prohibitus sit virtute sacrificii pro eo oblati.)"

a) Cf. Schroeckh. Christl. Kirchengesch. T. XXVIII. p. 112.
b) Cf. Graeser Röm. kath. Liturgie I. I. p. 30. 31. Hospinian l. I. I. p. 329.

c) De missis siccis cf. Chemn. exam. p. 363.

d) Cf. Walafridus Strabo de reb. eccl. cp. XXII. apud. Hosp. I. p. 330.

e) Hospin. l. l. I. p. 282.

f) Centuriae Magdeburg. cent. VIII. p. 363. 64.

g) Centur. Magd. IX. p. 247.

h) Natalis Alex. hist. V. et N. T. T. VI. p. 449. Cent. Magdeb. IX. p. 247.

i) Natal. Alex. l. l. T. VI. p. 240.

k) Gregorii Opera Tom. II. p. 269. Dialog. 11, 57. — Alia id genus exempla vide in Cent. Magd. X. p. 309. XI. p. 278. Schroeckh: Kircheng. XXVIII. p. 111. 112. 13. XX. p. 180. XXVII. p. 133. Bossuet: Geschichte der Welt und Religion fortgesetzt von Cramer. Tom V. P. II. p. 264. — Gregorii autem aetate nondum privatas missas ea sententia, qua postea, celebrari solere earumque originem demum a saeculo octavo repetendam esse, ostendit Chemn. exam. p. 362.

§. 6.

Ex quibus exemplis intelligitur, ad sinceram de Eucharistia doctrinam polluendam et insignes calamitates inferendas quod eo missae sacrificii commento plus valuerit, excogitari posse nihil. Quae enim calamitas est acerbior, quam fidei internae naturae depravatio, quae hominibus perniciosior, quam luci divinae veritatis nox offusa, quae universae ecclesiae turpior, quam sanctissimi sacramenti vires coelestes tantopere affectae, ut ad vanae caerimoniae similitudinem accesserit? — Atque si nemo majorem, quam verae, quae salvatorem amplectitur, fidei jacturam facere potest, quae magis exitialis miseriarum tempestas religioni Christianae excitatur, quam ejus, quo Christi praesentis corpus et sanguis fidelibus tribuitur, mysterii contemtio? Neque enim injuria ii, qui illam de Eucharistia doctrinam perversam et probarent et mediae aetatis Christianis obtruderent, inviti maxime eam contemsisse dicuntur. Etenim etsi id sacrum institutum caerimoniis et ritibus addendis exornare ejusque auctoritatem apud populum augere cupiebant, ut adeo de eo bene mereri sibi viderentur: tamen, quo major rerum sacrarum splendor fiebat, eo remotiores a vera ejus notione, rei divinae anteponebant speciem externam. Quod quo facilius fit ab iis, qui mentem a sensibus avocare non possint, eo mitius de ejusmodi doctoribus, qui ei rei exponendae operam dederint, facere debemus judicium. Quamquam enim nos quidem optimo jure illud commentum omnino delendum censemus, neque facere non possumus, quin iis, qui omnia externa forma metiantur, sanctissimi sacramenti contemtionem quandam exprobremus: tamen, cum errorum vis tempore praecedente tanta

fiat, ut singuli, qui ea aetate vivunt, resistere non possint, ne mediae aetatis magistris, quod illi dogmati eo modo exponendo faverint, vitio nimis magno vertamus, cavere debemus. Etenim cum a prima ecclesiae Christianae aetate in ipsis loquendi formulis, quae in orationibus et precibus adhiberi solebant, ejus erroris semen ita lateret, ut hominum, qui notionem iis injiciendam cogitatione perciperent, doctrinae ratione sensim prodire deberet, potius universae ante Reformatorum tempora ecclesiae, quam singulorum hominum socordiae tribuendus est. Qui quidem error per se errores genuit calamitatesque magnas Christianis intulit. Sed demum eo aevo, quo transsubstantiationis commentum paparum auctoritate sancitum est, miseriarum, ut ita dicam, radices plurimas egisse videatur. Itaque de ejus omnium maxime perniciosi erroris origine et natura fusius disserendum esse arbitror.

II. TRANSSUBSTANTIATIO.

I. ORIGO EJUS ERRORIS.

Ann. Transsubstantiationis vocabulo ea notione, quae latissime patet, usus sum.

§. 7.

Origo ejus, qui media aetate et exortus et defensus est, transsubstantiationis erroris non minus ab antiquae ecclesiae dissensu, quam a Germanorum populorum inclinatione quadam ad signa notione confundenda repetenda est. De priore quidem causa inter theologos catholicos, Lutheranos, Calvinistas post Reformatorum tempora certamen initum est acerbissimum. In suam enim quisque sententiam cum maxima data opera patrum locos interpretari conaretur, non tam eorum veram sententiam perscrutari, quam iis falsissime explicandis suam probare volebat. Quam ob rem omnino verum est, quod Marheineckeius*) de ejusmodi studio judicat: „Si spectas Catholicum," inquit, „in patrum de Eucharistia sententias inquirentem, omnes id unum profiteri videntur, coguntur etiam, eam esse praesentiam Christi in sacra coena, qua conversio fit specierum in corpus et sanguinem domini: si Lutheranum audis, realem, si Reformatum, symbolicam docent omnes. Quod quidem si Catholicum decere largiamur, cui

dogmatis sui veritas ipsa in consensu patrum magna ex parte consistit, parum tamen laudabile hoc negotium protestantibus existimandum est, quorum fides et doctrina non in consensione omnium temporum posita est, immo vero in dissensione multorum." Propter illum autem conatum vanum et perversum, eorum, qui de historia sacramentaria scripserunt, theologorum si recensemus libros, molestissimus potius labor, quam ad patrum sententias obscuras aperiendas adjumentum nobis tribuitur. Namque ingens acuminis subtilitas, qua plurimi de ea re scriptores praestabant, quominus veram sententiam intelligerent, gravissimum habendum est impedimentum; — probabile igitur esse videtur, quod idem Marheineckeius de libro suo ingenue profitetur: „Quamvis tota volumina in hanc disputationem impendisse multos sciam, tamen forsan hanc nostram scriptionem haud plane supervacaneam eruditiores existimabunt; cum apud alios ex Sanctorum patrum senntentiis coacervata, rejecta, defensa, detorta, in usum suae confessionis omnia conversa sint, in hoc scripto compositiora saltem invenient et in meliorem ordinem redacta." Qua de causa cum de antiquae ecclesiae doctrina, ut uberius exponerem, mihi non sit propositum, nonnulla ex ea doctissima dissertatione, cui multum ego debeo, repetenda esse censeo. Itaque etsi difficillimum est, singulas patrum sententias explanare, quod, quid maxime senserint, saepe ex uno vocabulo diversa ratione vertendo pendere videtur, tamen ultimis antiquitatis Christianae temporibus varias quidem de Eucharistia opiniones exstitisse, sed eam potissimum valuisse, quae ad conversionem quandam specierum inclinaret, negari non posse duco. Etenim quamvis Marheineckeius loco libri adversus Marcionem [c]), Tertullianum symbolicam tantum interpretationem probasse, ostendere conetur, — quod nemo repraesentetur, i. e. praesens reddatur, nisi absens: nihilominus eum locum integrum relinquens, Neandero [d]) assentior, qui in Eucharistia fruenda animos Christi corpore et sanguine quodammodo tangi alio loco eidem Tertulliano visos esse probavit. Fere idem de Cypriano sentiendum esse arbitror, etsi eum quidem meram symbolicam praesentiam nonnullis locis docuisse, verisimilius esse videatur, neque aliter de Irenaeo [e]), qui et ipse conjunctionem corporis et sanguinis domini cum speciebus Eucharistiae negari non posse putavit. Origines [f]) autem panem in coena sacra, prout ille est per se, non magni aestimavit, omnemque ejus vim ab hominum cogitatione et

animi desiderio pendere credidit; qua de causa materiam panis a consecratione verborum, externum corpus a typico et symbolico diligenter secrevit, ita ut ejus propriam virtutem ἀληθινὴν βρῶσιν τοῦ λόγου esse judicaret.[g]) A quo quidem Justinus martyr discrepat,[h]) qui non de panis et vini, sed de humanae naturae mutatione, per „incarnati Christi alimoniam efficienda"[i]) loquitur. Cujus involutae opinionis notionem non omnino aperire possumus. Certissimum autem est, societatem quandam τοῦ λόγου cum Eucharistiae speciebus ab eo probatam, quam sententiam graecae ecclesiae nonnulli scriptores inde repetiverunt. Justino autem in universum omnes inferioris aetatis patres consentientes, cum de ὁμοουσίᾳ sive de interna filii cum patre unione dimicarent, quod eam etiam inde probare studuerunt, quod in Eucharistia Dei filius se nobiscum communicaret, quemadmodum filius in divinitate cum patre conjunctus esset, non tam in substantialem praesentiam, quam in veram conversionem animos inclinasse,[ii]) verisimillimum est. Sic Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius senserunt. Potissimum vero eorum primus, cum de Eucharistiae natura more oratorum paulo magnificentius loqueretur, ad ejus doctrinae, quam postea ecclesia catholica sanxit, similitudinem vel proxime accessit, qua de causa plurimas illius orationes ad mortalium animos in posterioris aetatis transsubstantiationis commentum quasi praeparandos et componendos maximi momenti fuisse arbitror. Quorum hominum auctoritas quo plus valuit apud optimos quosque, eo facilius populi germani, jam per se ad notionem symbolis confundendam propensi, ei doctrinae favere coeperunt, cui postea transsubstantiationis nomen impositum est. Germani enim cum a cultu et humanitate quidem abessent, dociles vero invenirentur religioni Christianae intelligendae: — quoniam substantialem corporis domini praesentiam nullo modo negari posse recte judicabant, veram conversionem specierum probare malebant, quam praesentiam quandam symbolicam. Itaque jam Beda[iii]) nonnullis locis etsi non satis luculentur docuit, tamen eam ita significasse videtur, ut propriam elementorum mutationem et cum corpore et sanguine domini minime infitiaretur conjunctionem. Similiter sensisse Carolum magnum[k]) et Alcuinum[l]) ex libris, qui dicuntur, Carolinis et ex utriusque epistolis cognosci potest; — quam ob rem de miraculis in Eucharistia fruenda editis quod interdum nobis commemoratur, minime mirum esse debet. Sic etiam in orationibus, quae ea aetate in missis celebran-

dis habitae sunt, ex quibus nonnullae etiamnunc exstant, multa leguntur de transformatione rerum in sacramento, cujus causam inde repetunt, quod idem dominus, qui aquas in vinum mutaverit, in sanguinem suum vinum convertere possit. — Qua quidem ratione cum omnium animi optime praeparati essent ad transsubstantiationis doctrinam percipiendam, et ecclesia universa, etsi id nomen ignoraret,[m]) revera tamen traderet, exstitit Paschasius Radbertus, qui accuratioris cognitionis auctor habetur, paparumque decretis ipsis probatur. Quapropter, quoniam ex ejus hominis, in quo summa erat auctoritas, libro de corpore et sanguine domini illius opinionis natura rectissime intelligitur, de ejus vita et libri argumento uberrime disserendum censeo.

a) Marheinecke: Sanctorr. Patt. de praes. Christi in coena domini sententia triplex. Berl. 1812. p. 5.

b) Ibidem p. 6.

c) Tertull. adv. Marc. cp. XIV.

d) Neander: Die Geschichte der christl. Rel. u. Kirche T. I. p. 327.

e) Ibidem tom I. p. 389.

f) Origines in Levit. homil. VII. Opp. ed. de la Rue T. II. p. 225.

g) Marheinecke l. l. p. 20. Neander l. l. T. I. p. 224.

h) Justin. Martyr. Apol. I. p. 85. 86. edit. Bened.

i) Marheinecke l. l. p. 22.

ii) Cf. Chemnitius: Examen Concilii Tridentini p. 277. — Usitatissima est vetustis scriptoribus similitudo, qua inter si conferunt Eucharistiam, quae duabus rebus constat, et unionem duarum naturarum in persona Christi. Et quidem in certamine contra Apollinarem et Eutychen, Chrysostomus, Theodoretus et Gelasius, ex Sacramento Eucharistiae probant humanam naturam in Christo per unionem non esse absorptam vel transmutatam in divinam, sed duas veras et distinctas et integras esse naturas in Christo, sicut Eucharistia duabus rebus constat et duabus conficitur. Illa vero argumentatio Eutychen magis confirmasset, quam refutasset, si tunc dogma transsubstantionis in Ecclesia notum et receptum fuisset. Et hoc argumentum vel solum firmissime probare posset, transsubstantiationem ignotam esse verae et puriori antiquitati, nec video, quid Pontificii vel fingere possint ad eludendam argumenti hujus claritatem. Ita ergo et Justinus in descriptione Coenae Dominicae nominat μεταβολήν: sed mox subjicit similitudinem duarum naturarum, in persona Christi. Gloriose solent Pontificii jactare Cypriani sententiam, ex sermone de coena Domini: qui tamen an Cypriani sit, non satis certo constat. Ita autem habet sententia: Panis iste, quem Dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et Pontificii statim volunt, ne dubitandum quidem, esse Cyprianum fuisse transsubstantiatorem. Sed ipse verborum suorum optimus est interpres. Mox enim subjungit, quomodo mutationem illam intelligi velit, inquiens: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat divinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit substantia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio. Sicut ergo in Christo duae integrae sunt et manent naturae, ita mutatio panis, de qua Cyprianus loquitur, non abolet substantiam panis.

iii) Cf. locos all. in: Muenscher's Lehrbuch der christl. Dogmenge-

schichte herausgegeben von v. Koelln. Kassel 1834. II. 1. p. 223. 24. et quae contra disseruit Cramer in: Bossuet: Einleitung in die Geschichte der Welt und Religion Tom V. P. II. p. 222.

k) Ibidem p. 224.

l) Ibidem p. 225.

m) Transsubstantiationis nomine, quod demum apud Hildebertum Turonensem legitur, tamen jam ante ejus aetatem ad eam doctrinam, cui postea id nomen impositum est, significandam usus sum.

II. NATURA EJUS ERRORIS.

§. 8.

Paschasius Radbertus fine sec. octavi (786) humili loco natus, (fortasse in urbe, quae Basoches appellatur) apud sacras virgines Suessionenses[a]), quibus Theodrada regiae stirpis, Caroli magni consanguinea, praefuit, educatus, saecularis vitae, cui postea se dederat, pertaesus collegio monachorum Corbejensium accessit, quorum abbatem Adelardum tanta caritate amplectebatur, ut postea vita describenda gratissimam ejus memoriam retineret. Dum vero inter hos coenobii socios versabatur, teste Sirmondo[b]), non minus virtutis colendae, quam literarum discendarum flagrabat studio. Illo autem tempore, quo inter monachos vitam degebat, librum illum clarissimum de corpore et sanguine domini scripsit, qui, quo anno editus sit, a viris doctis disceptatur. Arnaldus[c]) Paschasium A. 818. scripsisse contendit, quod ipse profiteretur, esse se puerum et dedicare cuilibet puero, et de turbis, quae exstitissent, commemoraret, id quod de seditione Bernardi, Italiae regis, intelligendum esset, denique quod exsilium Adelardi, qui et ipse conjurationis particeps fuisset, satis luculenter significaret. Sed rectius Mabillonius[d]) et Cointius post Adelardi mortem a Paschasio librum scriptum esse dixerunt; Adelardus vero in exsilium ejectus, postea autem restitutus, A. 826. mortuus est. Cui successit Wala, frater ejus, qui quidem propter auxilium, quod seditiosis Ludovici pii filiis ferebat, in exsilium ad lacum Lemanum missus est. Cujus exsilii tempore Paschasium librum scripsisse verisimillimum est, i. e. A. 831; eo enim anno Ludovici patris regno filii bellum intulerunt. Quod autem illud opus se puerum confecisse contendit, vel maxime reputandum est, etiam eum, cui dono dedit, Warinum, Corbejae novae abbatem, puerum appellari, itáque, cum ad ejusmodi munus obeundum certe aetas virilis necessaria sit, tales significationes potius ad garrulitatem quandam, quam ad animi sin-

ceritatem referendas esse. Qua de causa et ex temporum et scriptoris vitae conditione sequitur, ut A. 831. liber compositus sit.

Eadem fere aetate commentarium in Matthaeum conscribere coepit, quem cum in Germaniam ad Corbejam Novam aedificandam missus, revertisset, et satis longo temporis intervallo A. 844. abbatis honoribus ornatus esset, usque ad librum quintum perfecit. A. autem 851 eo munere, quod a plerisque maxime flagitaretur, se ultro abdicasse et in urbem, quae vocabatur St. Riquier, se retulisse videtur. Neque enim probare possum sententiam Basnagei,[e]) qui ob eam causam, quod doctrinam omnino perversam de Eucharistia tradidisset, Paschasium exsilii poena affectum esse ostendere studuit. Nam profecto mirum esset, si monachus, qui jam A. 831. illum librum ediderat, qui omnibus mox notus esse debuit, A. 844. ad abbatis dignitatis gradum promotus, A. autem 851, ut pro doctrina falsa poenam lueret, ab eo dejectus esset. At enim hominem, cujus ea aetatete auctoritas apud plerosque valuit plurimum, ut molestias et labores, quos subire cogeretur, ultro effugeret, vitam solitariam dignitatis splendori praetulisse et ad litterarum studia diu remissa eo lubentius revertisse, multo verisimilius est. Quo quidem tempore etiam explanationem in psalm. 44. (45.), commentarium in threnos, quatuor posteriores libros commentarii in Matthaeum cum epistola ad Frudegardum scripsit, et postea libro nono addendo continuavit. Epistola autem ad Frudegardum data satis apperte dixit, neminem usque ad id tempus certamen contra se iniisse, libro vero duodecimo commentarii in Matthaeum de iis commemorat, quos ipsum reprehendisse audierat. Itaque illa epistola ad aetatem multo priorem, quam ultimi commentarii libri, referenda est, neque secundum Mabillonii sententiam fere sub ejus vitae obitum scripta. Qui quidem obitus ab Arnaldo et aliis A. 851, quo magistratu se abdicavit, tribuitur, a Mabillonio autem et Basnageio multo rectius A. 861. Qui annus si ejus mortis justus est inde sequitur, ut eo vivente defensores sententiae de Eucharistia diversae extiterint, id quod Arnaldus negare ausus est.

a) Mabillon: Acta sanctorum ordinis Benedictini scec. IV. p. 122. sqq. Basnage: Histoire de l'église p. 909: on croit, que Basoches fut le lieu de sa naissance, parce qu'il écrivit un traité des miracles de Valerius et Rufin, à la prière des habitans de cette petite ville. On lit dans une chronique manuscrite du monastère de Corbie, que Paschase étoit né à Rome, et que ce fut Adelard qui l'amène en France. Trithème a peut

être suivi la même idée, lors qu'il a attribué à Pasch. Radb. une traduction de la vie des peres grecs; mais il est évident, que Tritheme et les chroniqueurs de Corbie ont confondu Paschase Radberte avec Paschase le diacre de Rome, qui vivoit sous le Pape Symmaque.

b) Paschasii Radberti opera edidit Sirmond. Par. 1618. in ejus vita.

c) Arnauld: La perpetuité de l'église catholique touchant l'eucharistie vol. 1, 2. p. 731: „Le livre n'était destiné que pour l'instruction du jeune homme, aussi qu'il le remarque lui-même. Neanmoins comme il y avait ramassé plusieurs des verités, qui sont repandues dans les pères, et qu'il y avait expliqué non seulement la nature de ce sacrement, mais aussi les mystéres, qu'il enferme et la disposition avec laquelle il en faut approcher, il fut trés bien reçu" est.

d) Mabillon Acta sanct. ord. Ben. saec. IV. p. 2. — Praefat. p. 5: Paschasius librum de corpore et sanguine domini composuit tempore exsilii cujusdam abbatis sui, quem ipse in prologo Arsenium et alterum sui saeculi Jeremiam vocat. His nominibus sanctum Adelardum abbatem Corbejensem, qui ab A. DCCCXIV. in annos septem apud Heriam insulam exsulavit, designari hactenus eruditis viris persuasum est: qui iccirco Radberti librum de corpore et sanguine domini circiter A. DCCCXVIII. scriptum fuisse communi consensu tradiderunt. Et mea quidem persuasio fuit, dum Paschasii opus reperi de rebus gestis Walae abbatis, fratris et successoris Adelardi, quem Walam perpetuo et Jeremiam, Adelardum vero Antonium vocat. Sane idem auctor in libro Sancti Adelardi abbatis testatur, Adelardum aliquando Aurelium, Augustinum aliquando Antonium cognominatum fuisse, Arsenium aut Jeremiam nusquam. Hanc argumenta fateri nos cogunt, librum Paschasii scriptum esse tempore exsilii Walae abbatis, quod ab A. DCCCXXX. ad XXXII. contigisse aperte colligitur ex Dialogo Paschasii de Walae gestis. Contigit istud Walae exsilium per lubricas illas et funestas tempestates, cum Ludovici Augusti filii et Francorum magnates de principatu digladiabantur ect. „Porro istius Walae exsilii triplicem locum Radbertus designat — —. Ex his conficio, Paschasii librum serius annis tredecim scriptum esse." Cf. Basnage: Histoire de l'église p. 910.

e) Basnage h. de l'église p. 922.

§. 9.

Libri vero ipsius argumentum, de quo mihi praeterea commemorandum est, ita accuratissime exponi posse duco, ut, quoad ejus fieri potest, Paschasii Radberti ipsa verba proponam totumque ejus orationis filum sequi studeam. Disseruit igitur in eo, quem nominavi, libro hunc in modum:

A Deo omnia sunt creata totaque natura ejus voluntate ita gubernatur, ut, quaecunque velit, facillime perficere possit. Itaque quae nobis reputantibus naturae leges negligere videntur, minime contra naturam fiunt, sed secundum illius, qui ejus fundamenta jecit, arbitrium. „Et ideo[a]) inquit" nullus moveatur de hoc corpore Christi et sanguine, quod in mysterio vera sit caro[b]) et verus sit sanguis, dum sic ille voluit, qui creavit. Omnia, quae voluit, Dominus fecit in coelo et in terra. Et quia voluit, licet in figura pa-

nis et vini haec sic esse, omnino nihil aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt. Et, ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quae nata est de Maria et passa in cruce, et resurrexit de sepulcro." Quod si cui ab initio minus probatur, is et V. et N. T. a prophetis et a Christo edita miracula contemplari debet, ut facinora mira et singularia ad hominum fidem firmandam confecta esse intelligat. Omnia vero, quae mira edidit, hanc ob causam facta esse, concedendum est, ut homines ducerent, „quod Christus est veritas, veritas autem Deus est. Et si Deus veritas est, quidquid Christus promisit in hoc mysterio, utique verum est, et ideo vera est Christi caro et sanguis, quem qui manducat digne habet vitam aeternam in se manentem." „Ubi si naturae ordo requiritur, succumbit ratio, et tamen manet extra humanam rationem facti veritas, ita ut in ratione fidei vis deitatis et potestas efficax[c]) modis omnibus credatur, quia dubietas mentis, licet bonae vitae sit, qui accipit, excludit, ne ad hujus sacramenti intelligentiam pertingat." Quod quidem minime esset, „si totum visibile fieret, nulla fides, nulla vis spiritualis, nulla alia res, quam quae oculis et gustui subjaceret." Neque igitur quidquam aliud, nisi fides hujus sacramenti naturam discernit: „omnes enim homines mysterium[d]) accipiunt, fideles autem mysterii virtutem."[e]) Quae[f]) quidem „plenissime accipitur, neque ab alio, quam ab ipso Christo pontifici porrigitur, licet visibilis sacerdos assistere et singulis tribuere videatur, quia, quod iste per ignorantiam omnibus indifferenter tribuit, Christus virtutis majestatis suae interius, cui ad remedium, cuique ad judicium tribuatur, discernit." „Sed quia Christus vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem et vinum veram carnem suam consecratione spiritus sancti potentialiter creari: creando vero quotidie pro mundi vita mystice immolari, ut sicut de Virgine per spiritum vera caro sine coitu creatur: ita per eundem ex substantia panis et vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecretur." „Unde[g]), quia mysticum est sacramentum, nec figuram illam negare possumus; omnis enim figura alicujus rei figura est, et semper ad eam refertur, ut sit res vera, cujus figura est. Veritas est, dum corpus Christi et sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis vinique substantia efficitur. Figura vero dum sacerdos quasi aliud exterius gerens, ob recordationem sacrae passionis ad aram, quod semel gestum est, quotidie immolat agnum." Cujus rei jam in Israë-

litarum historia et manna e coelo supeditatum et sacra legalia, quae fieri solebant, fuisse videntur significationes, ita ut quod nobis revera manducare licet, illi Christi corpus τυπικῶς comedisse intelligantur[h]). „Cujus[i]) oblatio iteratur quotidie, primo quoniam quotidie peccatur, quod licet omnia peccata condonata sunt in baptismo, infirmitas tamen peccatis adhuc in carne manet, secundo ut sicut fuit arbor vitae in paradiso[k]), ita sancta Dei ecclesia habeat in se mysterium vitae, quod in eodem ligno figurabatur, ex quo qui edunt, servantes mandata vitae, nequaquam possunt mori in aeternum, tertio[m]) ut quicunque digne hanc vitam sumant, renati unum efficiantur, ut sicuti jam per baptismum Christum induunt, ita Christus in iis per hoc sacramentum corporaliter maneat.[n]) Etenim[l]) non sicut quidam volunt, anima sola hoc mysterio pascitur, quia non sola redimitur morte Christi et salvatur, verum etiam et caro nostra per hoc ad immortalitatem et incorruptibilitatem reparatur. Ut enim in hac mortali vita nisi vino et potu non vivitur, sic ad illam aeternam non pervenitur, nisi duobus istis ad immortalitatem spiritualiter nutriatur. Et ideo bene in calice simul redduntur, quia de calice uno passionis Christi haec duo nobis ad vitam manarunt. Unde nonnunquam viaticum appellatur, quo si quis fruitur in via, pervenit ad vitam, quam in se habet et falsitate nulla fallitur.“ Quod quidem mysterium „in pane et vino eam ob causam celebratur, quod panis u n u s ex m u l t i s naturaliter granis efficitur, ex quo nostra in Christo commendatur unitas, simili autem modo et in vino, quod vinum ex multis liquatur uvis.“ „Quod vero calorem[o]) et saporem carnis minime praebet, virtus tamen fidei et intelligentiae, quae nihil de Christo dubitat, totum illud spiritualiter sapit et degustat, quia, ut dixi, qui verbo creavit haec, verbo cum spiritu sancto cooperatur. Avidius autem requiritur, quod latet et pretiosius est, quod cum fide quaeritur. Ideo quoque sic debuit hoc mysterium temperari ut et arcana secretorum celarentur infidis, et nihil deesset vere credentibus promissae veritatis, de qua[p]) ut et ipsi fideles fiduciam perciperent, et alii de miraculo ad fidem solidarentur et de Christi gratia uberius participarent, saepe haec mystica corporis et sanguinis sacramenta visibili specie in agni formam aut in carnis et sanguinis colorem monstrata sunt.“[q]) Quam ob rem cum ejusmodi quid non ex mortalium voluntate pendere intelligatur, „non verbis humanis, sed procul dubio divinis efficitur et mandatis.[r]) Sic itaque licet sacerdos benedicat,

ipse est, qui benedicit et frangit et per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens: accipite et bibite ex hoc omnes.[s]) Quod vero ante passionem id sacramentum instituit, id ob eam causam factum est,[t]) ut de legali Pascha, quia umbra removenda erat, veritas claresceret. Qua quidem nutriebantur et apostoli, qui non jejuni et corpus et sanguinem percipiebant, et nos, qui cum summa religione jejuni communicare solemus non carnaliter, sed spiritualiter. Licet igitur panis in carnem et vinum commutetur in sanguinem, veluti a natura probatur, tamen altius consideranda sunt haec, ubi non modo caro et sanguis Christi in nostrum convertuntur sanguinem aut carnem, verum nos a carnalibus elevant et spiritales efficiunt. Hoc sane in nobis nutriunt, quod ex Deo natum est, et non quod ex carne et sanguine." — „Ubi spiritualis esca est,[u]) et potus sumitur et spiritus sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in nobis carnale adhuc est, transferatur in spiritum et fiat homo spiritalis, quid commixtionis habere poterit? Quantum igitur distat vita illa aeterna ab ista mortali vita, tantum est iste cibus omnino praeeminens ab illo communi, quo simul nobiscum etiam animalia vivunt." Cui miraculo ut majorem fidem adhibeat, impellitur, qui sanctorum patrum[v]) de Eucharistia sententias non ignoret. Sic enim Sanctus Augustinus de hac re judicat, quocum consentit Ambrosius, cujus sententia planissima et verissima in eo est libro exposita, quo ait, „quia ipsa est caro Christi in sacramento, quae in cruce pependit, et quae de Maria virgine sumta est, et sanguis, qui fluxit ex latere." Similiter Cyprianus et Cyrillus et Eusebius censuerunt.

a) Paschasii Radb. Opp. ed. Sirm. p. 1555. D. E.

b) Cf. ibidem d. 1572 C. Substantia panis et vini in Christi carnem et sanguinem efficaciter interius commutatur, ita ut deinceps post consecrationem jam vera Christi caro et sanguis veraciter credatur, et non aliud, quam Christi panis de coelo credentibus aestimetur.

c) Ibidem p. 1558. D.

d) Ibidem p. 1617. B. Quicunque indigne comederit, non virtutem carnis, sed judicium sibi sumit. Porro si quis peccator est, et jam peccare desinit, tamen caro Christi sacramentum efficitur, ut per hoc et ipse ad veram innocentiam redeat. Verum tamen etsi ita loquimur, non existimandum est, quod hic aut ille aliud accipiat, quam Christi carnem et sanguinem.

e) Cf. Pasch. Radb. epist. ad Frudegardum in opp. p. 1621. D.

f) Ibidem p. 1573. E.

g) Ibidem p. 1564. A.

h) Ibidem p. 1567.

i) Quae a Paschasio capite sexto et sept. exponuntur, quia ejus non propria sunt, ut doctrinae conspectus facilior esset, a me omissa sunt.

k) Pasch. opp. p. 1578.
l) Ibidem p. 1602. D.
m) Ibidem p. 1579.
n) Quod uberius explicans Pasch. summa ingenii acie docet, ut Christus non voluntatis solum, sed naturae quoque unitate Deo esse conjunctum, sic etiam nos paullatim Christo ὁμοουσίους fieri debere.
o) Paschasii opp. p. 1592. D.
p) Ibidem p. 1593. D.
q) Cujus rei nonnulla exempla afferuntur cp. XIV. p. 1594. 93.
r) p. 1597.
s) Haec verba, quae inferioris aetatis doctorum praeceptis contraria sunt, cum laici postea a vino bibendo prohiberentur, miserrime detorquet Sirmondus p. 1593.
t) p. 1602. C.
u) p. 1606. C.
v) p. 1621.

§. 10.

Ex quo libri argumento intelligitur, Paschasii Radberti, si paucis complectimur, sententiam fuisse hanc: externa symbola panis et vinum sacerdotis consecratione in corporis et sanguinis domini substantiam ita transformantur, ut etsi sapor et odor priorum elementorum manet, tamen ipsum Christi corpus ea forma, quam illa exhibent, adesse putandum sit. Quae quidem doctrina, cui jam diu semina jacta erant, a Paschasio primo accurate et exquisite proposita, quamvis ecclesiae universae consensu probaretur, nihilominus adversarios nonnullos excitavit, qui illam, quam usque ad eam aetatem in doctrina tradenda adhibere licuerat, ambiguitatem retinendam esse, opinarentur. Quorum hominum opiniones cum ecclesia Catholica, quae usque ad Reformatorum aevum nunquam transsubstantiationis doctrinam impugnatam esse contendit, ad ejus dogmatis normam interpretari et de certamine ipso, quod cum Paschasio inierunt, plurima comminisci ausa sit: ut vera eorum notio librorumque argumenta recte cognoscantur, de iis viris singulis disputandum esse mihi videtur.

§. 11.

Inter quos est Ratramnus sive Bertramnus. Num vero qui exstat de corpore et sanguine domini ad Carolum Calvum liber ipsi Ratramno an Joanni Scoto tribuendus sit, dubitari potest. Namque Joa. Scotum scripsisse contra Paschasium, qui ea aetate vixerunt, scriptores ignorant quidem, Adrevaldus vero monachus jam A. 870, ut eum refelleret, tractatum de corpore et sanguine Christi contra

ineptias Joa. Scoti[a]) composuit. Etsi autem Hincmar[b]) contendit, putavisse Joa. Scotigenam, sacramentum altaris non verum corpus et verum sanguinem domini esse, sed memoriam tantum veri corporis et sanguinis, et ipse Berengarius Turonensis commemorat, librum illum contra Paschasium compositum argumenta repetere a patribus sanctis, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, — qualis revera est is, de quo disserimus, liber, — cui accedit Ascelini epistola ad Berengarium[c]): tamen Gerbertus[d]), qui satis multus est in controversiis enarrandis, de Joa. Scoto nihil addidit, et quae ab aliis scriptoribus ex eo libro afferuntur, vel maxime consentiunt cum argumento ejus operis, quod nunc Ratramno tribuitur; ita ut, quod Petrus de Marca[e]) putavit, verisimillimum sit,[f]) libri ejusdem modo Ratramnum, modo Joa. Scotum[g]) auctorem habitum, illi vero, cujus nomen in antiquissimo codice[h]) inveniatur, revera tribuendum esse. Antea autem De Saint Boeuve et nonnulli alii theologi pontificii hunc Ratramni librum ita explicare tentaverunt, ut sententias de Eucharistia Paschasio faventes continere videretur;[i]) veteres vero a Reformatis librum scriptum et suppositum esse suspicari non dubitaverant: sed et illud consilium et hanc opinionem vana esse, ostendit Basnageius.[k])

a) V. D'Achery: Spicilegium Tom. I. p. 150.

b) de Praedestinatione cp. 31.

c) Cf. Lanfranci Opp. p. 24. 25. Cf. Arnauld la perpétuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie, suite du tome premier p. 1021. Gieseler Lehrbuch der Kirchengesch. II. 1. p. 90.

d) Gerberti de corpore et sanguine libellus in: Pezii thesaur. anecdotorum. tom. I. ps. II. p. 131—42.

e) Epistola ad D'Acheryum in hujus spicilegio. Tom. II.

f) Basnage: Histoire de l'église p. 933 nonnulla attulit, quae faciunt, ut hanc sententiam non tam veram, quam verisimillimam habere possimus. Mirum enim esse, quod jam A. 870 quis (Adrevaldus) exstiterit, qui contra Scoti ineptias scripserit, neque satis cognoverit, illum ejus operis, quod ad refutandum omnem operam contulerit, minime esse scriptorem, negari non potest.

„Il y avoit donc," inquit Basnageius, „dès le tems de Charles le Chauve un traité de Jean Scot, qui étoit connu, qui portoit son nom, que les amis de Paschase refutoient; et par conséquent cet auteur ne s'étoit pas caché sous le nom de Ratramne, comme on le prétend. Hincmar qui vivoit dans le même tems, connoissoit aussi les sentiments de Scot, qui ne les dissimuloit pas à l'ombre d'un nom étranger. D'un autre côté l'anonyme de Cellot parle du traité de Ratramne; il falloit donc, qu'il y eût de son tems un traité de Scot, contre lequel Adrevalde écrivoit, et un autre traité de Ratramne contre Paschase, qui étoit cité par l'anonyme de Cellot. On continua dans les siècles suivans à distinguer ces deux ouvrages; car d'un côté Berenger se servoit du livre de Jean Scot pour appuyer son sentiment — —. D'un autre côté Sigebert de Gemblours, qui vivoit au commencement du siècle XII,

parle du traité de Ratramne." Quod quidem argumentum magni revera est momenti, sed tamen non sufficit ad sententiae mihi probatae infringendam auctoritatem: nam, ut supra dixi, permulta, quae afferuntur ex libro Scoti, nihil discrepant a Ratramni libro, neque audiendus est Basnageius qui „on trouve quelque conformité," inquit, entre ces écrits, car dans les citations, qu'un nommé Ascelin a faites de l'ouvrage de Jean Scot, on voit une prière, qui se trouve mot-à-mot dans le traité de Ratramne. Cette dernière remarque seroit la plus forte, mais elle tombe d'elle-même, lorsqu'on découvre que c'est une prière de Grégoire le Grand, que ces deux auteurs ont pu citer en mêmes termes. Mais de plus il est faux, que cela soit, car il y a quelque différence entre ces citations. Neque magis probari potest, ab eo rem illam vel maxime miram, quod etiam Scotus opus Carolo Calvo dedicaverit, cumque in hac dedicatione eodem modo, quo Ratramnus, Carolum calvum magnum appellaverit, sic explicari: „On a donné quelquefois à Charles le chauve le titre de grand; mais il n'étoit pas encore empereur, lorsque Ratramne écrivit sur l'Eucharistie; ainsi la préface, dans laquelle on donne à ce prince la qualité de grand et d'empereur, est supposée. (?) On peut avoir fait la même supposition pour l'ouvrage de Scot, mais il ne suit pas de là qu'il n'y ait qu'un seul ouvrage." Contra quem Arnauld: la perpétuité I. 2. p. 1025. 26. sic acutissime disseruit: Je doute, qu'on trouve, que personne ait jamais donné à aucun des autres Charles ce titre. (— Attamen ipse Mabillonius: Acta Sanct. ord. Bened. IV. 5. praef. p. 129: Exempla non desunt, inquit, in quibus hoc elogium (Magni) huic regi (Carolo calvo) tribuitur," (sed exempla nulla attulit.) Si l'on suppose, que ce titre est faux, il est bien étranger, que le hazard eût produit la rencontre d'une même fausseté dans deux livres différents, qui auroient eu d'ailleurs tant de ressemblance. Et si en prétendant, que le titre est véritable, on veut, que Jean Scote ait marqué Charles le chauve par le nom de Charles Magne, comme il est certain, que ce titre est extraordinaire et qu'il n'a point été donné communément à ce prince, il serait bien étranger encore, que la fantaisie de deux hommes différents, que l'on a peine à distinguer d'ailleurs, se soit trouvée tournée à donner ce titre extraordinaire à Charles le chauve.

g) Joa. Scotus ab iis scriptoribus, qui doctrinam de Eucharistia catholicam tradunt, inique vituperatus est. Attamen etsi a doctrinae cujusdem pantheisticae suspicione liberari nequeat, nihilo tamen minus sagacissimus rerum divinarum perscrutator fuisse dicendus est. Neque enim quidquam aliud spectavit, quam ut religionem Christianam, quam absolute veram esse sibi persuaserat, argumentis a ratione repetitis confirmaret. Itaque quamvis saepissime erraret, tamen philosophiae Christianae fundamenta jecisse videatur. Hiort: Joa. Scotus Erigena oder von dem Ursprung einer christl. Philosophie und ihrem heil. Berufe. Staudenmeyer: Joh. Scotus Erigena und die Wissensch. seiner Zeit. Basnage histoire de l'église p. 936. (— Basnageius autem putat, quod a multis scriptoribus relatum est, Joannem aliquem ab Alfredo e Gallia vocatum et monasterio praepositum per iratos alumnos cultris esse trucidatum, referendum esse ad Joa. Scotum; id quod fieri non posse ostendit Mabillonius Acta S. S. IV. 11. p. 507—13. quem sequuntur etiam recentiores hujus rei scriptores ut Hiort: l. l. p. 144. Gieseler l.l.II. 1. p.58. Cf. Histoire litéraire de la France par des religieux Benedictins de la congrégation de St. Maur. Vol.V. p.418.

h) Cf. Mabillon Acta S. S. ord. Ben. saec. IV. 2. praef. p. 14. „In Belgii partes profectus Laubiense adii monasterium, ubi inter codices manuscriptos bene paucos, qui restant, binos reperi, unum vetustissimum

ab annis sane octingentis exaratum, in quo continentur opuscula duo; primum de corpore et sanguine domini, subsequens de praedestinatione, illud unico, hoc duobus libris constans" — „et certe scriptum esse sub finem saec. IX. facile suadet ipsa scriptorum forma, quae omnino Ratramni aetatem sapit, nec dubito, quin is ipse sit codex, quo usus est Herigerus, ejus loci abbas in fine saec. X. Ex his magna nobis praejudicia suppetunt, Ratramnum esse auctorem libri, quem sub nomine Bertramni circumferunt, nimirum quod in codice Laubiensi pervetusto Ratramni praeferat nomen, quod continentes in eodem codice habeat genuinos libros duos de praedestinatione, qui omnium consensu Ratramno conscribuntur auctori, quod denique Herigerus utrumque opus ipsi tribuat. His addo styli similitudinem et scribendi genus cum aliis Ratramni operibus convenientem ect. ect." Cui judicio justo cf. quae disseruit Arnauld la perpétuité I. 2. 1009—37. ubi ita opinione praejudicata duci intelligitur, ut ipsa mendacia eloqui non horreat, velut p. 1036: „Car l'on ne trouve point que personne ait parlé de Bertramne avant Sigebert qui composait son livre des écrivains ecclésiastiques environ 1110." Attamen Gerbertus de Ratramno commemorat, qui A. 991. demum summi pontificis dignitate exornatus est, antea vero librum de corpore et sanguine domini scripsit.

i) Mabillonius Acta S. S. IV. 2. p. 87.

k) Basnage histoire de l'église p. 934. 35. 32.

§. 12.

Qui quidem Ratramni[a]) liber regis Caroli calvi jussu confectus non carnalem, sed spiritualem praesentiam domini satis clare docet, ita tamen, ut interdum a Luthero ad Calvini sententiae similitudinem accedat.[b]) Argumenta vero, quibus sententiam suam scriptor affirmare studuit, ad verba haec sunt:

„Ille panis, qui per Christi verbum et ordinationem usu legitimo Christi corpus est, aliud exterius humanis sensibus ostendit, et aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod antea fuit, forma praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur. Ast interius longe aliud, multo pretiosius multoque excellentius intimatur: quia coeleste, quia divinum i. e. Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animae fidelis contuitu adspicitur, accipitur, comeditur. Vinum quoque, quod Christi verbo et ordinatione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud interius continet. Quid enim aliud superficie, quam substantia vini conficitur? Gusta, vinum sapit, odorare, vinum redolet, inspice, vini color cernitur. At interius si consideres, jam non liquor vini, sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus, et sapit, dum gustatur, et ex odoratu probatur, et agnoscitur, dum conspicitur. Haec ita esse, dum nemo potest abnegare, claret quod panis ille vinumque figurate(?) Christi corpus et sanguis exsistant. Non enim

secundum quod videntur, vel carnis species in illo pane cognoscitur, vel in illo vino cruoris unda monstratur: cum tamen post mysticam consecrationem nec panis jam dicitur nec vinum, sed Christi corpus et sanguis. Nam si secundum quosdam figurate hic nihil accipitur, sed totum in veritate conspicitur: nihil hic fide opus est, quia nihil spiritualiter geritur, sed quidquid illud est, totum secundum corpus accipitur. Ita nihil absurdius quam panem carnem accipere et vinum sanguinem dicere. Nec jam mysterium erit, in quo nihil secreti, nihil abditi continebitur. Et quomodo jam Christi corpus et sanguis dicitur, in quo nulla permutatio facta cognoscitur? At quia confitentur, et corpus et sanguinem Christi esse; nec hoc esse potuisse, nisi facta in melius commutatione; neque ista commutatio corporaliter, sed spiritualiter facta sit: necesse est, ut jam figurate facta esse dicatur, quoniam sub velamento corporei panis et vini spiritualiter corpus et sanguis Christi exsistunt." ect.

„Si panis et vinum superficie tenus considerata fuerint, creatura sunt, mutabilitati corruptionique subjecta: sin vero mysterii perpendis virtutem, vita sunt, participantibus immortalitatem tribuens. Non ergo sunt idem, quod cernuntur et creduntur. Secundum enim quod cernuntur, corpus pascunt corruptibile, ipsa corruptibilia; secundum vero quod creduntur, animas pascunt in aeternum victuras, ipsa incorruptibilia." —

„In orationibus, quae post sumtionem mysterii corporis et sanguinis Christi dicuntur, sic sacerdotis voce dicitur: Pignus aeternae vitae capientes, humiliter imploramus, ut quod in imagine contigimus, sacramenti manifesta olim participatione sumamus." At pignus et imago alterius rei sunt, id est non ad se, sed ad aliud respiciunt. Pignus enim illius rei est imago, cujus similitudinem ostendit. Significant enim illam rem, cujus sunt, non manifeste ostendunt. Quod enim ita est, apparet, quod hoc corpus et hic sanguis rei futurae pignus sunt et imago, ut, quod nunc per similitudinem ostenditur, in futuro per manifestationem reveletur. — Perfice, quaesumus, per tua sacramenta in nobis, domine, ut, quae nunc specie gerimus, olim rerum veritate capiamus." „Dicit, quod per speciem gerantur ista, non in veritate i. e. per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem. Differunt autem a se species et veritas. Quapropter corpus et sanguis, quod in ecclesia geritur, differtab illo corpore et sanguine, quod in Christo per resurrectio-

nem jam glorificatum agnoscitur." — Addemus tandem, quod ille panis et calix, qui corpus et sanguis Christi nominatur, memoriam repraesentet dominicae passionis sive mortis." ect. ect.

a) Ratramnus de corp. et sang. Domini ad Carol. calv. regem ed. Jac. Boileau. Paris 1712 in 12. Equidem locos supra propositos excerpsi ex: Muenscher: Lehrbuch der Dogmengesch. herausgegeben von von Coelln. Kassel 1834. II. 1. p. 230 Cf. Hospinian: historia sacramentaria I. p. 251—263.

b) Librum non satis clare et luculenter scriptum esse, negari non potest, ut non omnino injuste judicet Arnauld: La perpétuité ect. I. p. 1031: Si cet auteur semble en vingt endroits s'écarter de la doctrine de la présence réelle, il fait semblant en tout autres endroits de l'approuver et de la vouloir établir contre ceux à qui il viendrait en pensée d'en avoir le moindre doute; en sorte que l'on ne sait à quoi se fixer ni s'arrêter" — Quod autem hoc disserendi genus ei, quod Joa. Scotus in libro, qui est de divisione naturae, adhibuit, simillimum et hanc ob causam opus ab eo compositum putat, absurdum est et ridiculum. Ipse Mabillonius v. §. 11. g) Ratramni operibus hunc librum esse parem censet. Cf. Cramer in Bossuet: Geschichte der Welt und Religion. Tom. V. P. 2. p. 255: — Weil Ratramne ein allzuoffenbarer Bestreiter der Transsubstantiation und gleichwohl für einer Heiligen erklärt ist, so hätte man ihm lieber sein Werk vom Abendmahle abgesprochen, solches dem Johannes Erigena zugeschrieben und diesen für einen Irrgläubigen erklärt. Arnauld hat wirklich um dieses zu beweisen, alle Kräfte seines Geistes aufgefordert; aber vergebens, indem Mabillon unwidersprechlich dargethan hat, dafs Ratramne der Verfasser des Werkes sei, dessen Inhalt so sehr wider die Transsubstantiation streitet. Man ist also genöthigt gewesen, ihn durch allerlei gezwungene Erklärungen rechtgläubig zu machen. Einige haben vorgegeben, Christus wäre im Abendmahle körperlicher und fühlbarer Weise, und nicht unter den Hüllen der äusserlichen Zufälligkeiten des Brodtes uud des Weines gegenwärtig; andre, dafs der Ausspruch: Christus sei nicht wahrhaftiger Weise im Abendmahle gegenwärtig, so viel bedeute, als, er sei nicht auf eine sinnliche Weise darinnen. Allein wem konnte jemals einfallen, den Leib Christi zu sehen, zu fühlen, zu brechen, wenn er nur Brodt sah, und etwas zu behaupten, was nicht ohne eine völlige Verwirrung des Verstandes gesagt werden hann.

§. 13.

Praeter Ratramnum Rhabanus Maurus, Moguntiaci episcopus, contra Paschasium scripsisse fertur, quum in Epist. ad Heribaldum[a]) haec legantur: „Quidam nuper de ipso sacramento corporis et sanguinis Domini non rite sentientes dixerunt hoc ipsum esse corpus et sanguinem Domini, quod de Maria virgine natum et in quo ipso Dominus passus sit in cruce et resurrexerit de sepulcro.[b]) — Cui errori quantum potuimus, ad Egilonem abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere credendum sit, aperuimus." Quae epistola ad Egilonem data interiit quidem[c]): attamen quod fecerit judicium de Eucharistia, ex multis ejus librorum locis, quorum nonnullos afferemus, satis cognosci po-

test. Etenim praeter duos locos[d]), qui si orationis filum abrumpas, transsubstantiationis doctrinam probare videntur, quaecunque alias tradidit, de spirituali praesentia intelligenda sunt.

„— Maluit enim dominus,“ inquit, „corporis et sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi, et in pastum eorum redigi, ut per visibile opus invisibiles ostenderentur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecus corpus nutrit et vegetat, ita etiam verbum Dei intus animam nutrit et roborat, aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute sacramenti interior homo satiatur: sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute sacramenti aeterna vita adipiscitur. Quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur, vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. — Nisi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis ect. Facinus vel flagitium videtur jubere. Figurata ergo est, praecipiens passioni domini esse communicandum: et suaviter atque utiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.“

a) Canisii lectiones antiqnae ed. Basnage Tom II. p. 2. p. 311.

b) Cf. quae de hoc loco docet Mabillon. Act. S. S. IV. 2. praef. Nr. 78.

c) Mabillonius l. l. p. 561 sq. invenisse sibi videbatur Rhabani librum in codice quodam Gemblacensi (dicta cujusdam sapientis de corp. et sang.), sed quae hoc opere proponuntur, non consentiunt cum iis, quae alias Rhab. docet.

d) De institutione clericorum I. 31. extr. „Haec autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per sp. s. in sacramentum divini corporis transeunt.“ Et de Sacris ordinibus cp. 10: „Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem et vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit? Facilius est ex aliquo aliquid facere, quam omnia ex nihilo creare.“ — Hoc posteriore loco potissimum Mabillon. Act. S. S. IV. 2. No. 74. Rhabanum transsubstantiatorem fuisse ostendere conatur. Et profecto quidem si ex quo vera Rhabani sententia perspici posset, nihil aliud exstaret, qui eum refellere studerent, consilium vanum inirent. Attamen, quae ex aliis librorum locis attuli, faciunt, ut etiam hunc locum secundum normam ejus doctrinae exponamus. Itaque verbum convertendi, quemadmodum prioris loci verbum transeundi, de vini et panis quadam mutatione, qua divina vis in elementa effundatur, et vocabulum sacramenti pro usitatiore signo positum dicendum est. Quem alium locum ad opinionem suam probandam attulit, (Comment. in Josuam fine: ubi agni immaculati caro et sanguis in sacris altaribus quotidie offertur et fidelium ore in pastum animarum suarum salubrite percipitur, ut umbra legis recedente veritas pateat evangelii per D. C.) is non aliter, nisi de spirituali praesentia intelligendus est. —

Hos vero ipsos, qui Paschasio restiterint, per ejus vitam scripsisse,

optime ostendit Basnage histoire de l'église p. 919. sq. Cf. quae Rhabanus Maurus de baptismate tradidit apud: Matthies: Baptismatis Expositio biblica historica dogmatica. Berolini 1831. p. 260.

§. 14.

Praeter Ratramnum vero et Rhabanum, quos contra ipsum Radbertum libros composuisse ostendimus, commemorandi sunt alii, qui quamvis eodem saeculo viventes ad doctrinam ejus refellendam nullam operam conferrent, tamen ipsa illius aetate de coena domini inter theologos fuisse dissensionem opinionumque varietatem, luculentissime declarant: ex quibus, quo facilius ex adversariorum sententiis Paschasiana, quae iis est fere contraria, cognosceretur, de nonnullis uberius exponendum esse duxi. Inter quos habetur Florus[a]), ecclesiae Lugdunensis diaconus, qui fidei tantum Christi corpus mysticum tradi contendit et tam nihil de transsubstantiatione tradidit, ut Mabillonii, qui id demonstrare studuit, mentis aciem ingens errorum caligo praestrinxisse putanda sit;[b]) Walafridus Strabo,[c]) qui Salvatorem corporis et sanguinis sui sacramenta in panis et vini substantia discipulis dedisse duxit; denique Christianus Druthmar, monachus ejusdem monasterii Corbejensis, cui praeerat Paschasius, qui locum S. S. Mt 26, 26. ratione a Paschasio omnino aliena interpretatus est, quod eo majorem nobis admirationem facere debet, quod abbatis auctoritatem non facile quis monachorum infringere ausus est.

a) De expositione missae apud Martene et Durand: Veter. scriptorum amplissima collect. tom XI. p. 584. v. Muenscher Lehrbuch der Dogmengeschichte herausgegeb. von v. Coelln II. 1, p. 239. Aliud erat corpus, quod loquebatur, atque aliud, quod tradebatur. Corpus, quod loquebatur, erat substantiale, quod vero tradebatur, mysticum. cf. Bossuet. l. l. p. 256.

b) Act. S. S. IV. 2. pr. Nr. 80. „Mysterium ergo illud agitur sub figura et spetie panis, at sub illa figura continetur veritas corporis dominici; sic Florus intelligebat, sic credebat. — — Ex quo iterum apparet, quod jam saepius dixi, controversiam illam haesisse maxime in modo loquendi." ect. Cui sententiae cf. Basnage histoire de l'église p. 938.

c) Walafridus Strabo de rebus eccles. cp. 16. 27. v. apud Hospinianum hist. sacram. tom I. p. 270.

d) Druthmar: Expositio in Matth. evangelist. V. Muenscher l. l. p. 238. Basnage hist. de l'église p. 939. Gieseler Lehrbuch der Kirchengesch. II. 1. p. 96. 97. 98. Bossuet l. l. p. 258.

§. 15.

Eorum vero hominum sententiis contemptis, per mediam aetatem Paschasii doctrina perversa, si certamen cum Be-

rengario postea initum et paucorum magistrorum sententias excipis, ita valuit, ut summo clarissimorum theologorum ingenii acumine et paparum decretis probaretur permultis. Etenim non solum nonnullorum patrum, qui ad ejusmodi dogmatis similitudinem accesserunt, sententiarum quaedam sanctitas, sed etiam illius ipsa natura et ratio, quae ad animos eorum accommodaretur, qui rebus sub oculorum adspectum cadentibus majorem fidem haberent, quam quae mente a sensibus sejungenda percipiuntur, ejus auctoritatem apud populum vel maxime auxerunt. Atque cum inde ipsi theologi oriantur, et illius religionis aut veritas aut perversitas maximi momenti sit ad mentem eorum, qui ejus rationem ad artem et praecepta revocant: illos ecclesiae doctores, quorum esset ejus dogmata et intelligere et defendere, in transsubstantiationis errore versantes, magis magisque turpissima superstitione imbutos esse, quis est, quin intelligat? — Qui primi ipsa Paschasii aetate ejus partes sequebantur, quique sententiam contrariam refellere studebant, ii ad unum omnes doctrinam, ut ita dicam, simplicem tradebant et ab eo, quo uti solebant, qui Scholasticorum nomine vocantur, captioso quaestionum genere abhorruisse videntur. Solam enim docebant transsubstantiationem fieri, ejus vero naturam, et quae inde sequerentur, perscrutari omittebant. Etenim cum eam tam miram et singularem esse opinarentur, ut omnem intelligentiae humanae vim et notionem fugeret, nihil aliud nisi Dei omnipotentiam mutationis causam habendam esse docebant easque proponebant argumentationes, quibus ipse Paschasius in libro, de quo supra diximus, usus erat. Sic enim Hincmar[a]) in imagine panem per sacerdotem Christi ipsius loco consecratum veram Christi carnem esse putavit, non quo similiter ac postea Lutherus de sacra coena senserit, sed transsubstantiationis notionem illi loquendi formulae injecisse intelligitur. Namque imaginis vocabulo usurpando nihil aliud nisi externam speciem significare voluit, quam etiamsi interna natura mutaretur, tamen manere sibi persuaserat. Neque aliter judicandum est de Haymone,[b]) qui transeundi verbo in locis, quos infra afferemus, ea sententia usus est, ut verisimillimum sit, veram transsubstantiationem ejus fuisse doctrinam.

a) Hincmar Epist. II. ad Carolum calvum cp. XII. de cavendis vitiis et virtutibus exercendis. Cf. Histoire litéraire de la France tom V. p. 544. Basnage histoire de l'église p. 913.

b) Haymo in tractatu de corp. et sang. Dom., qui est fragmentum

commentarii in epistolam priorem ad Corinthios: (d'Achery Spicilegium editio nova Tom. I. p. 42.) „Sicut panis et vinum, quae quotidie sacerdotes in ecclesia consecrant, per sanctificationis gratiam, qua divinitatis plenitudo et virtus ista replet, in corpus et sanguinem transeunt. —: ita quoque, cum panis ille a fidelibus in sacra communione frangitur et comeditur, Christus per hoc immolatur. — Credimus — quod substantia illa, panis scilicet et vini, per operationem divinae virtutis substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est, in carnem et sanguinem." Apparet, Haymonem his verbis transsubstantiationis doctrinam tradere, neque probanda est sententia Hospiniani: Hist. Sacram. I. p. 222. qui ejus doctrinam ad suam fingere studet. (Cf. Mabill. Act. S. S. ect. IV. 2. Praef. No. 35. 38.) Contra Basnage: Hist. de l'église 914. argumentis non satis idoneis allatis hunc tractatum non ab Haymone compositum esse censet, collige Histoire littéraire de la France. Tom V. p. 214. Enfin Dom duc d'Achery nous a donné un traité d'Haymon sur l'Eucharistie, qu'il avoit trouvé — dans un monument de St. Germain. — Ce traité est à la verité fort court, mais il n'en est pas estimable — — —. Il y a beaucoup d'apparence, que Haymon le composa pour l'opposer aux erreurs de Jean Scot ect.

§. 16.

Sed tantum abfuit, ut et ii, quos modo nominavi, et qui praeterea eo tempore de sacramento altaris Paschasii sententiam assensione comprobabant, disciplinae Christianae magistri argumentis eximia disserendi subtilitate allatis eam confirmare conarentur, ut in sola sanctorum patrum et Paschasii Radberti, qui plurimum pollebant, auctoritate omnem collocarent fiduciam. Etenim sicut in hominibus, qui, cum a cultu et humanitate absint, ad litterarum sacrarum studia animos non referunt, sola fides est sententiarum ratio, quam ob rem divina ejus veritas cum erroribus perversis facillime commiscetur: sic illi doctrinae Christianae praeceptores, cum ea aetate vitam degerent, qua in Gallia et Germania litterarum quasi primordia existerent, quaestiones de ea re omnes fugientes, ad clarissimorum hominum opiniones suam ipsorum accommodaverunt. Namque ea ratione versabantur in errore, ut ejus tam nihil sibi conscii essent, ut minima quidem dubitatio iis moveretur. Neque igitur id contenderunt, ut ingentes difficultates, quibus ea doctrina obstructa erat, argumentorum fallaciis amoverent, scrupulosque, qui mentibus hominum ingenio acuto praeditorum injecti essent, eximerent: sed cum ipsi in signa re divina confundenda inclinarent, haud inviti commentum Paschasianum tradiderunt. Longe vero alia erat scholasticorum doctrinae ratio. Ea enim cum omnibus nervis conniteretur, ut ecclesiae dogmata (transsubstantiationis vero dogma paparum auctoritate sancitum esse, quod hoc loco

ponimus, infra ostendemus) comprobaret, superstitionem autem, quae sensim religionem Christianam absolute veram turparet, ab ea minime secerneret: eadem reverentia, qua veritatem divinam colebat, ut ipsos errores foedissimos prosequeretur, adduci debuit. Neque enim num ecclesiae praecepta probari possent, ita ut ex religionis interna natura continuo sequi viderentur, sed illius dubitationis nulla habita ratione, omnino ea vera esse, quomodo ostendi posset, id unum inquirebant. Sic vero philosophiae scholasticorum duae viae diversae muniri potuerunt: Ecclesiae enim doctrinam, quae verissima habenda esset, aut ita perscrutari studuerunt, ut arbitrarentur, recte ductam rationem, si vires omnino constitueret et perficeret, suae ipsius legis quasi necessitate quadam coactam illam comprobaturam, aut veritatis dogmatum ultro intelligendae omnem spem abjicientes, divinam auctoritatem, quae eodem jure, quo haec, etiam alia sancire potuerat, solam cur credi deberent, causam habendam esse concederent. Priorem earum iniit Lanfrancus,[a]) qui Anselmi Cantuarensis praeceptor, etsi argumenta afferre non omisit, tamen ejusmodi rationes dialecticas minus lubenter, quam sacras auctoritates se audire profitetur. Attamen certamen ejus cum Berengario initum (de quo, etsi hoc loco disputari potuit, tamen alium infra magis idoneum esse putavi) primum exemplum artis dialecticae in theologorum controversia dirimenda adhibitae ducendum est: „Sui enim studii esse,“ ait Lanfrancus,[b]) „contra dialecticam quoque respondere, ne ipsius artis inopia putaretur in hac parte Berengario deesse; fortasse jactantiam quibusdam videri, et ostentationi magis, quam necessitati deputari, sed testem sibi esse deum et conscientiam suam, quia in tractatu divinarum litterarum nec proponere, nec ad proposita respondere cuperet dialecticas quaestiones vel earum solutiones.“ Sic igitur ecclesiae doctrinam jam ob eam causam, quod esset ecclesiae doctrina, neque aliis rationibus afferendis probari posse censuit. Similiter senserunt scholasticorum plurimi, velut Alexander Halesius, Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, qui ad unum omnes admirabili ingenii acumine praestantes, transsubstantiationis commentum contra captiosas interrogationes, quas dissolverunt, defendere et, quaecunque in contrariam partem afferri poterant, refellere studuerunt. Itaque ad errores maximos mortalibus quasi injiciendos vires colligebantur ingentes, ad animos foeda superstitione imbuendos summum intendebatur mentis acumen, ad commentum hominum cogitatione conceptum, tanquam

divina voluntate sancitum, argumentis plurimis confirmandum, id operae conferebatur, quod, si in illo funditus evertendo consumeretur, multo nobis majorem facere debuit admirationem. Namque etiam eo studio vano et inani, quo in illius doctrinae auctoritatem non solum servandam, sed etiam augendam incubuerunt, ob eam causam laetari licet, quod luculenter declarat, quantopere homines, si mentem a sensibus avocent, neque quidquam externae rerum speciei tribuant, soli confidere possint cogitandi intentioni. Verum enimvero cum eo, quo contendebant, tantum abesset, ut pervenirent, ut longius a proposito aberrarent, divinae non tam sapientiae, quam licentiae instituta, etiamsi perversa viderentur, veneranda esse decreverunt. Etenim qui eam viam in ecclesiae doctrina exponenda ingrederentur, quam supra descripsi, et velut Duns Scotus de ejus veritate intelligenda desperarent: rationes afferre omittentes, non aeque ac priores ecclesiae doctores paparum placitorum veritati animo simplici fidem adjunxerunt, sed quamvis eorum falsitatem cogitatione sua conciperent, tamen iis, ut divinae voluntatis praeceptis, putaverunt serviendum. Quorum quidem doctrinae Christianae veritatis desperatio optimum ejusmodi studiorum vanitatis erat testimonium. Neque enim scholastici dissimulare potuerunt, nisi liberam vocem si quam mitterent, potestatis ecclesiasticae crudelitatis timor comprimeret, fore ut longe aliter[bb]) sentirent de dogmatum natura. Itaque Reformatorum aetate ea, in quae universum genus Christianum paparum libido conjecerat, dissoluta sunt servitutis vincula, et verbi divini solam auctoritatem restituit clarissimorum praeceptorum ingenua libertas.*) — Primum igitur ita, ut nulla dubitatio moveretur, Lanfrancus Paschasii doctrinam, cui fere omnes favebant theologi, repetiit, et non multis novis argumentis afferendis, uberius exposuit: „Credimus," inquit,[c]) „terrenas substantias, quae in mensa dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, converti in essentiam domini corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta

---

*) Nihilo minus minime secundum rationem eorum, qui theologos biblicos se haberi volunt, in S. S. acquiescendum, sed ea, quorum in illa semina jacta sunt, dogmata in ecclesia eo modo explicanda esse duco, quem in Prooemio descripsi. Maximi vero est momenti, num recte an aliqua ex parte falso explicentur.

horrerent, et ut credentes fidei praemia ampliora perciperent, ipso tamen dominico corpore exsistente in coelestibus ad dexteram patris immortali, inviolato, integro, incontaminato, illaeso, ut vere dici possit, et ipsum corpus, quod de virgine sumtum est, nos sumere et tamen non ipsum: ipsum quidem, quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem, atque naturam: non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem, ceteraque superius comprehensa." Lanfranco autem, etsi etiam post Berengarium sententiarum erat diversitas[cc]), longe plurimi consenserunt theologi scholastici. Namque Hildebertus Turonensis[d]), qui primus et notionem et vocabulum transsubstantiationis, quod in posterum legitima illius mirabilis conversionis erat significatio, adhibuisse perhibetur, fere eadem ratione, qua ille, quaecunque contra illam doctrinam disseri poterant, ita refellenda censuit, ut non cadere eam contenderet in intelligentiam humanam. (Contra Rupertus Tuitiensis[e]) minus luculenter eam doctrinam tradit, et cum substantia panis et vini non mutata tamen corpus et sanguinem Christi ab iis comedi doceat, in quibus fides sit, ea profert, quae non longe a Lutheri sententia abesse videntur.) Quorum hominum auctoritatem secutus, Petrus Lombardus[f]), magister sententiarum, eam viam ingressus est, quam fere omnes ecclesiae doctores postea inierunt. Is enim de transsubstantiationis natura, quae fieri potuerunt, spinosas interrogationes dissolvere conatus est permultas. Conversio quidem, qualis sit, formalis an substantialis, etsi definire non audet, tamen accidentia sine subjecto exsistere, et fractionem et partitionem non in substantia corporis, quod incorruptibile sit, sed in ipsa forma sacramentali fieri putat.[g]) Neque vero infitiatur a malis aeque atque a bonis corpus domini sumi, ab his non modo sacramentaliter, i. e. sub specie visibili carnem Christi de virgine sumtam et sanguinem pro nobis fusum, sed non mysticum. Nihilo tamen minus se non omnes difficultates amovere posse profitetur. — Itaque, ut ipse commemorat, multae de conversionis modo ortae sunt sententiae, cum alii eam sic intelligendam esse opinarentur, ut sub illis accidentibus, sub quibus prius erat substantia panis et vini, in praejacentem materiam resolvi vel in nihilum redigi, alii autem putarent, ibi substantiam panis et vini remanere et ibidem esse corpus et sanguinem Christi: et hac ratione dici illam substantiam fieri istam, quia ubi esset haec, esset et illa, et illam substantiam panis et vini esse sacramentum. — Alexander Halesius, Al-

bertus magnus, Thomas Aquinas,[h]) accidentia sola Dei potestate, quae prima omnium rerum causa esset, sine subjecto adesse, neque quidquam aliud, nisi formam externam frangi duxerunt. „Quidam posuerunt," inquit Thomas, „quod facta consecratione non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi nisi sola materia: et ita sequeretur, quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in ejus materiam, quod repugnat formae sacramenti, qua dicitur, hoc est corpus meum. Secundo quia si forma substantialis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest; quia si remaneret in materia panis, tum tota substantia panis remaneret, quod est contra praedicta. In alio autem materia remanere non posset, quia propria forma non est, nisi in propria materia. Si autem remaneret in materia separata, jam esset forma intelligens, nam omnes formae a materia separatae sunt tales. Tertio esset inconveniens huic sacramento. Nam accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie. Et id eo dicendum est, quod forma substantialis panis non remanet." „Relinquitur, quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest. Cum enim magis effectus dependeat a causa prima, quam a secunda: Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam." — Praeter eos vero, de quibus Bonaventura[k]) refert, — qui commemorentur, potissimum Johannes Parisiensis et Guilelmus Occamensis digni sunt. Ille, qui determinationem scripsit de modo exsistendi corpus Christi in sacramento altaris alio, quam esset ille, quem teneret ecclesia, etiamsi ille repudiaretur, tamen veram et realem exsistentiam corporis Christi servari docuit; — et quamvis, si ostenderetur, eum modum, quem illa traderet, aut per sacrum canonem, aut per generale concilium, aut per papam esse determinatum, revocare se paratum esse simularet, nihilo tamen minus, quantopere de sacra coena a doctrina ecclesiastica dissentiret, declaravit. Substantiam enim panis manere sub accidentibus suis putavit, non in proprio supposito, sed tractam ad esse et suppositum Christi, ut sic esset unum suppositum in duabus naturis:[l]) i. e. substantias corporales panis et corporis Christi in unam substantiam coalescere in idiomatum communicatione, quam

in Christo naturarum unione probandam censeret ecclesia. — Majore etiam disserendi subtilitate erat Guilelmus Occamensis,[m]) de quo praecipue ob eam causam ut quomodo Nominalistae de coena domini et senserint et tradiderint, intelligatur, fusius disputandum esse videatur. Guilelmus igitur, qui eodem modo, quo Duns Scotus ecclesiae doctrinae veritatis cognoscendae spem omnem deposuit, illi quidem suam opponere non audens, ejus nimiae potentiae, non rationibus se cedere profitetur. „Ideo non debet poni," inquit,[n]) „nisi ubi evidenter sequitur ex traditis in scriptura sacra vel determinatione ecclesiae, propter cujus auctoritatem debet omnis ratio captivari.[o]) Sententia, cujus sunt, qui in eodem loco cum substantia panis et vini manere corpus Christi arbitrantur, esset multum rationalis, nisi esset determinatio in contrarium, quia illa salvat et vitat omnes difficultates, quae sequuntur ex separatione accidentium. Nec contrarium habetur in canone bibliae, nec plus includit aliquam contradictionem, corpus Christi coexsistere substantiae panis, quam ejus accidentibus, nec repugnat rationi." Itaque quamvis revera sibi persuasisset, substantias et accidentia panis et vini manere, sed eodem loco simul corpus et sanguinem Domini, (ita ut non procul a Lutheri doctrina abfuisse videretur) tamen si verba spectas, transsubstantiationis dogma eo modo, quo ecclesia, docuit, si sententiae sinceritatem, repudiavit. — Ex Nominalistarum vero ratione ad ecclesiae dogma confirmandum quantitatis notionem non per se exsistere docet, sed ipsis rebus, quibus quantitatem tribuant Realistae, contineri, ita ut magnitudo ipsa, et res, quae est magna, motus ipse, et res, quae movetur, omnino idem esse intelligatur. Qua de causa quantitatem, cum non minus substantiae, quam qualitatis sit, manere, etiamsi substantia panis transsubstantiatione intereat, aut aliud corpus eundem locum, quem antea hostia, obtineat. Discernit enim esse circumscriptive et diffinitive. „Circumscriptive esse in loco," inquit, „est aliquid esse in loco, diffinitive autem esse in loco est, quando totum est in toto loco, et non extra, et totum est in qualibet parte illius loci, quomodo corpus Christi est in loco diffinitive, quia totum ejus corpus, coexistit toti loci speciei consecratae, et totum coexsistit cuilibet parti loci. — Dico, quod non est inconveniens, nec repugnat aliquo modo, substantiam corporis Christi contineri sub specie panis. Probatur, quia sicut non repugnat alicui indivisibili, quod secundum se totum coexsistat distinctis locis similiter anima

intelligitiva: ita non repugnat divisibili, quod secundum se totum coexsistit alicui toti et cuilibet ejus parti.[p])

Multa autem sequi ex transsubstantiationis doctrina non infitiatur velut, cum omnis hostia corpus Christi contineat, altera a sacerdote tolli, altera demitti possit, ut quodlibet corpus eodem tempore duplici modo moveatur, duo vero corpora simul eodem loco esse possint. Ejusmodi autem quaestionum genere eo lubentius utebantur permulti, quo plura in dogmatis ratione comprobanda desiderarentur. Itaque de tempore, per quod vinum et panis in corpus et sanguinem conversa manerent, magna opinionum fuit dissensio, dubitatumque est, num a brutis animalibus corpus Christi sumeretur, etsi videretur. Sic enim Petrus Lombardus[q]) judicavit: a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videtur. Quid igitur sumit mus, vel quid manducat? Deus novit!" — Contra Alexander Halesius, cum de ea re doctrinam accuratiorem exponere vellet, num a bruto animali Christi corpus ederetur et in ejus ventrem dejiceretur, in utramque partem disseruit. Ad interrogationem affirmandam nonnulla proposuit, velut: Deum in hominem vitiosum flagrare majore invidia quam in animal, qua de causa Christi corpus comedi posse videretur, sed tamen objecit, hominis vitiosi odisse Deum culpam, non naturam, quae semper idonea esset ad accipienda sacramenta, id quod non caderet in brutum animal. Denique: „si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video, qua re corpus Christi non simul trajiceretur in ventrem canis vel porci," — quod dubitare videtur.[r]) Alexandro autem consensit Thomas Aquinas,[s]) qui si mus vel canis hostiam consecratam comederet, revera corpus Christi comedi putavit, quia, cum panis substantia maneret, etiam Christi corpus manere deberet. Qua quidem ratione non domini dignitatem pollui, quippe qui, majestate non laesa, a peccatoribus in cruce se affigi pateretur — praesertim cum Christi corpus non in forma ipsius propria, sed forma sacramenti deglutiretur, eorum vero sententiam, qui sacracramentum, quoties animalibus sumeretur, toties ducerent desinere esse, quod esset, derogare veritatem sacramento. Attamen Bonaventura:[t]) Quantumcunque haec opinio muniatur, inquit, nunquam tamen adeo munitur, quin aures piae hoc abhorreant audire, quod in ventre muris sit Christi corpus." — Nihilo tamen minus Thomas Aquinas apud aequales auctoritate tanta valuit, ut ipsius sententia probaretur, Lombardi et Bonaventurae rejiceretur, illius autem lo-

cus saepe allatus in numero eorum haberetur, in quibus magister non tenebatur. Itaque in murem aut aliam quam bestiolam, quae hostiam consecratam arrodere auderet, ut omnia exempla cruciatusque ederentur, constitutum est. Sic enim legitur apud Durandum:[u]) Si custodis negligentia incuriave a muribus aut vermibus aliisque id genus bestiolis erosum sanctificatum crustulum aut exesum fuerit, ac deprehendi bestiola poterit, quae ipsum arroserit exederitve, corpus ipsius incaedunto, incisae bestiolae ore et intestinis diligenter exploratis, si quae inveniantur cibi reliquiae, easque extrahunto, extractas pariter reliquias recolligunto et in sacrarium cum exusto bestiolae cinere reponunto." Petrus vero de Palude: mus, inquit, exenterari (et mus quidem comburi et cinis in piscinam projici), pars autem hostiae, si homo eum horret sumere, debet in tabernaculo reverenter poni et tam diu ibi dimitti, quousque naturaliter consumatur. Ipsa autem hostia nequaquam in piscinam debet projici: sicut fecit quidam sacerdos de musca reperta post consecrationem in calice. Et si quidem homo esset tanti fervoris, quod hujusmodi non horreret, sed sumeret, commendandus esset ect." Neque unde exsisterent illi vermes, qui in Eucharistia gigni solent, satis intellexerunt scholastici. Alii aëre circumfuso, alii ipsa panis substantia eos ali; Thomas Aquinas ex quantitate dimensiva per miraculum id fieri opinatus est. Praeterea in utramque partem disputaverunt, utrum panis esset signum corporis sine sanguine, an contineret humores et spiritus atque adeo sanguinem. Thomas Aquinas sanguinem corpori inesse censuit, ad quam sententiam defendendam concomitantiam quandam docuit, cum in sacramento post consecrationem sub panis specie adesse Christi corpus putaret, sub specie vini sanguinem: una cum corpore sub specie panis adesse sanguinem, animam, divinitatem Christi; cum sanguine quoque sub specie vini corpus et divinitatem ex concomitantia. Tum vero, quia ex consecrato vino odor et fumus exhalat, num in eo odore esset Christi sanguis, quaesiverunt: affirmaverunt alii, quod in calice nulla alia esset substantia, ex qua odor aut fumus oriri posset, nisi Christi corpus; alii negaverunt, quod homines posse naso percipere coenam dominicam, absurdum iis videbatur. Neque tamen, undenam fumi et odores illi gignerentur, perscrutari horruerunt. Et quia ridiculum esse visum est docere, ex solis eos vini accidentibus exsistere, aut ex immortali et glorioso Christi corpore, a Deo miraculose de ni-

hilo creari duxerunt, quasi calice, in quo esset vinum consecratum, igni admovendo a Deo perpetua ea fierent miracula. Neque minus ubinam Christus in hostia caput et pedes haberet, ne forte sacerdos imprudens eum aliquando versum sursum pedibus teneret, maxima diligentia indagare studuerunt: et responderunt nonnulli, semper dominum caput sursum tollere, pedes deorsum demittere, ut licet sacerdos hostiam in orbem versaret, nulla tamen status mutatione facta, erectus adsisteret. Cum autem haesitarent, qua tergum esset, frontem ab eo semper ad sacerdotem ob reverentiam verti censuerunt, nisi cum sacerdos hominibus hostiam porrigeret: tum enim celerrime tergum obverti sacerdoti, vultu communicantes adspiciente. Dubitaverunt etiam, num Christus in hostia videret, audiret, sentiret, quidquid in coelo videret, audiret, sentiret; fuerunt, qui hoc affirmarent, in pane esse eundem illum Christum, qui esset in coelo, nec minus perfectum. Alii contra eum in pane esse caecum, surdum, mutum, immobilem profiteri soliti sunt. Neque vero id ipsum integrum reliquerunt, utrum nudus an vestitus esset in hostia dominus. Et inventi sunt, qui vestitum inesse ducerent, quia vestitus in coelum adscendisset. Alii autem nudum censuerunt, quod absurdum esse videbatur, non solum ipsum corpus, sed etiam vestimenta ejus in sacra coena comedi.

a) Vide Opp. Lanfranci ed. d'Achery, praecipue librum de Eucharistia.

b) Lanfr. de Eucharistia cp. 7.

bb) Cf. Chemnitius: Examen Concilii Tridentini: p. 272. Scotus Cameracensis et alii diserte fatentur, nec verbis scripturae, nec symbolis fidei, nec veterum sententiis cogi nos ad dogma Transsubstantiationis, et sine transsubstantiatione posse doceri, retineri et credi, et veram praesentiam et efficaciam corporis et sanguinis Christi in Eucharistia: minus etiam absurdarum quaestionum habituram doctrinam de Eucharistia, si absque transsubstantiatione remanere ponatur substantia panis et vini una cum corpore et sanguine Christi, nisi Concilium Lateranense (de quo vide infra) aliter statuisset. Fundamentum igitur primum et principale dogmatis de Transsubstantiatione collocant in solo Lateranensis Concilii Decreto. Postea vero ad ornandum illud Concilii Decretum fucos quosdam ex Scriptura et Patribus conquirunt. Durandus non vult improbari aut damnari illam sententiam, quod remanente substantia panis, vere et substantialiter adsit in Eucharistia corpus Christi etc.

c) ibid. cp. 18.

cc) Vid. Gieseler Lehrb. d. Kirchengesch. II. 2. p. 428. ed. tertia „Alii panem et vinum non mutatum, sed solum sacramentum sicut aquam baptismatis, vel oleum chrismatis, corpus Christi non vere, sed figurate vocari dicunt. Alii autem dicunt, panem non solum sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum. Alii autem panem et vinum in carnem et sanguinem mutari,

sed non Christi, sed cujuslibet filii hominis sancti et Deo accepti, ut compleatur, quod Christus dixit: nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Alii autem gratiam Dei derogantes, dicunt, sacerdotum malis meritis ita invocationem divini nominis annullari, ut eorum indigna consecratione non debeat panis in Christi carnem converti.

d) Hildebertus Turon. Sermo V. de coena domini, Opp. Col. 422. V. Muenschers Lehrb. der Dogmengesch. II. 1. p. 249. Cf. Schroeckh Kirchengesch. XVIII. 59: Nec dubitare debemus, quin panis per sacra verba benedictionis sacerdotis in verum domini corpus immutetur, ita ut panis substantia non remaneat, sed calorem et saporem voluit remanere, et sub illa specie veram corporis Christi substantiam latere, ne si in ea qualitate, in qua revera est, appareret, verum hominem animus hominis sumere abhorreret. De Sacram. Altaris Opp. Col. 1606. Num quid ratione capabile est, qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Dom. conversa, non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, sine panis et sine vini substantia, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto — — — —? via in istis ignota est rationi, sed non penitus ignota fidei. Ratio hoc totum ignorat, sed fides praesumit, quod ratio non capit. — Verbum transsubstantiandi primus Stephanus episcopus Augustodunensis in tractatu de sacramento altaris cp. XIV. commemorat. Cf. Larroque histoire de l'Eucharistie p. 465: Étienne évêque d'Autun commença à mettre en usage le mot de transsubstantiation, et parcequ'il y a eu deux évêques d'Autun de ce nom et au même *siècle*, dont le premier parvint à cette dignité l'an 1112 et l'autre l'an *1160*, on ne sait pas avec une entière certitude, lequel des deux commença à se servir de ce terme. cf. Schroeckh Krchengsch. Tom. 28. p. 60.

e) Rupertus Tuitiensis Comment. in Joa. cp. 6. vid. Hospinian. historia sacram. p. 346. In pane et vino immolatur Dei filius, et in carnis et sanguinis sua veritate. Ibid. cp. 7. in Joa.: Sicut Deus et homo unus est Christus, sic et panis iste visibilis consecratus, cum illa carne, quae pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. De divinis offic. liber II. cp. IX. apud Gieseler. l. l. p. 367. Quod cum in ora fidelium sacerdos distribuit, panis et vinum adsumitur et transit: partus autem virginis cum unito sibi verbo patris et in coelo et in hominibus integer manet et inconsumtus, sed in illum, in quo fides non est, praeter visibiles species panis et vini nihil de sacrificio pervenit. v. Schroeckh christl. Kirchengesch. Tom. 23. p. 54.

f) Petrus Lombardus Sentt. lib. IV. dist. VIII. cp. 2. Forma est, quam Christus edidit dicens: hoc est corpus meum et hic meus sanguis. Cum enim haec verba proferuntur: conversio fit panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi. Ibid. cp. III. Sacramentum est species visibilis sub forma panis et vini. Res vero hujus sacramenti est gemina, contenta et signata: ut corpus Christi verum, quod de virgine traxit, et sanguis, quem pro nobis fudit, alia vero signata et ea contenta, ut corpus Christi mysticum, quod est unitas ecclesiae (vid. Hospin. H. S. p. 349.) — dist. XI. cp. I. Si quaeritur, qualis sit illa conversio, an formalis an substantialis vel alterius generis: definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco, quod species rerum, quae antea fuerant, remanent et sapor et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis dicentibus: sic substantiam converti in substantiam, ut haec essentialiter fiat illa. Ibid. dist. XII. cp. I. Mihi videtur exsistere fatendum sine subjecto, quam esse in subjecto, quia ibi non est substantia, nisi corporis et sanguinis dominici, quae non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus

talem habet in se formam, sed qualis in judicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium, quibus corpus Christi habens formam et naturam suam tegitur. Ibid. dist. XII. cp. II. Quaeritur, utrum fractio vera sit, et si ibi vera fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat? Cumque non sit alia substantia, quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed contra, cum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Nam et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem Christi, sicut aliam in partes dividendam et morsibus dilacerandam. Ideo quibusdam placet, quod non sit ibi fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur, quod ait Ambrosius: Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis. Vel sicut fit in majorum praestigiis, ubi illusione quadam tolluntur oculi, ut videant esse, quod non est. Ad hoc illi dicunt: non fallit nos visus nec fallitur — — —. Nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem fit. Sicut et Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini, nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Dist. X. cp. 1. Sunt alii praecedentium insaniam transcendentes; qui Dei virtutem juxta modum naturalium rerum mentientes audacius ac periculosius veritati contradicunt, asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis et sanguinis converti, sed ita Christum dixisse; hoc est corpus meum, sicut apostolis dixit: Petra est Christus. Dicunt enim esse corpus Christi tantum in sacramento, i. e. in signo et tantum in signo a nobis manducari. Qui errandi occasionem sumunt a verbis veritatis, unde prima haeresis facta est in discipulis Christi. Cum enim diceret: nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit vitam aeternam. Illi non intelligentes dixerunt: durus est hic sermo, quis potest eum audire? Illis discedentibus instruxit duodecim, qui remanserunt: spiritus est, inquit, qui vivificat, caro nihil prodest, verba quae vobis locutus sum, spiritus et vita sunt. Ad quem loc. cf. Hospin. II. S. p. 350.

g) Sentt. lib. IV. Dist. IX. cp. II.

h) Vid. Gieseler Lehrb. d. Kirchengesch. II. 2. p. 377 u. 430. Hospin. l. l. p. 428. 452. 404.

i) Summae pars III. quaest. 75. artic. 6. Vid. apud Muenscher. Lehrb. d. Dogmengesch. II. 1. p. 251.

k) Sententt. lib. IV. Dist. XI. p. I. art. 1. De ipsius vero Bonaventurae sententia cf. quae annotavit Chemnitius: Examen Concilii Tridentini p. 274: „Bonaventura in 4 Sententiarum, distinct. 8. quaest. 1. quaerit, quid demonstret pronomen hoc? Et recitat quosdam dixisse, verba illa teneri materialiter: atque ideo non esse quaerendum, quid significent. Alii dixerunt: Hoc, id est, significatum per hoc, quod est convertendum in corpus meum, est corpus meum. Ipse vero Bonaventura inquit: Quia verbum accedit ad elementum, ideo per particulam hoc, non demonstrari corpus Christi, sed substantiam panis sub accidentibus: atque esse orationem singularem, quae non significet identitatem, sed conversionem operativam: Hoc est corpus meum, id est, hoc totum ad prolationem verbi, transit in corpus.

l) Vid. Gieseler l. l. II. 2. p. 370.

m) Cf. Rettberg: Occam und Luther oder Vergleich ihrer Lehre vom heil. Abendm. Theol. Studien u. Kritiken 1839. I. p. 69—136.

n) Sententt. lib. I. Dist. II. quaest. 2.

o) Cf. Quodlibetum lib. IV. quaest. 35. de Sacramento altaris cp. 5. Est advertendum, quod quamvis in N. T. reperiatur expressum, quod

corpus Christi sub specie panis est, sumendum a fidelibus, in memoriam passionis dom. et suorum remissionem peccaminum: tamen, quod substantia panis non manet, ibi non exprimitur, unde, et de hoc antiquitus fuerunt diversae opiniones.

p) Quodlibetum I. q. IV. Sentt. lib. IV. q. 4.

q) Sententt. lib. IV. Dist. 13. Vid. Schroeckh Kirchengesch. T. 28. p. 65. Hosp. H. S. I. p. 412. Giesel. l. l. II. 2. p. 371.

r) lib. IV. quaest. 45. membr. I. art. 2. — De Alexandro Halesio aliisque ejus interrogationibus vide Schroeckh Kirchengesch. T. 28. p. 106. sq. Maxime vero memoratu digna est haec (v. Schroeckh l. l. T. XXVIII. p. 68): si post consecrationem caro Christi in forma pueri vel carnis sanguinolentae appareret, comedenda esset? Respondet: minime, sed servanda est vaso puro. (Ludovicus IX. et Simon de Montfort ne videre quidem voluerunt puerum, in cujus forma dominus inter comedendam Eucharistiam apparebat. v. Raynald ad A. 1256. No. 18. p. 69.) cf. Hosp. I. p. 434. et Cent. Magd. c. IX. p. 248.

s) Summae pars III. q. VIII. art. 3.

t) vid. apud Gies. l. l. p. 371.

u) Durandi Rationale lib. IV. p. VII. canonis v. Hospin. p. 412. sq. De nonnullis aliorum scholasticorum erroribus v. §. 19.

§. 17.

Relinquitur, ut quam tulerant et defenderant theologi, quomodo ea sententia Romanorum pontificum decretis confirmata sit, consideremus. Innocentius vero tertius, clarissimus ille papa, Paschasii doctrinam cum non solum iis, qui ante se vixerunt, magistris, sed etiam suae aetatis longe plurimis probari intelligeret, concilio Lateranensi, quod coëgit A. 1215, sancire statuit. Decrevit igitur, ut transsubstantiationis doctrina pro communi ecclesiae catholicae dogmate haberetur, id quod his verbis pronuntiavit: „Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos et sacrificium J. C., cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves ecclesiae, quas ipse concessit apostolis et eorum successoribus J. C.“ Neque minus mandavit, ut Eucharistia „sub serae et clavis custodia conservaretur.“ „Statuimus“, inquit, „ut in cunctis ecclesiis chrisma et Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur, ne possit ad illam temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit tribus mensibus ab

officio suspendatur, et si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni."

Neque tamen solam transsubstantiationis notionem in hominum animis quasi insculpere satis habuerunt, sed etiam caerimoniarum pompa splendorisque illecebris permulcere studuerunt oculos. Etenim Urbanus IV, ut sub adspectum populi ipsa mutandi ratio subjiceretur, festum corporis J. C. eumque omnium vel maxime solemnem instituit. Erant autem illius quasi fundamenta jam ante illius aetatem jacta. Origo enim ejus diei festi hoc modo tradi solet: Robertus episcopus Leodiensis, propter revelationes, quas Juliana, priorissa montis Cornelii et amica ejus Eva virgo reclusa et Isabella sibi divinitus suppeditatas esse professae erant, ut hic festus dies ab incolis Leodiensibus celebraretur, mandavit. Juliana enim saepe tantopere divino inflammata erat instinctu, ut, quum animum a corpore sejungeret, in coelo ipso sedem suam sibi collocasse videretur. Namque quoties precabatur, toties divina quaedam imago ante ejus oculos obversabatur, plenus quidem lunae orbis, sed parte quadam distractus; quo signo ecclesiam uno festo carere catholicam significari, revelatione perceperat, et papae indicare jussa erat. Quae cum nimis magnae esset modestiae, viginti annos de ea re tacuit, tandem vero Jacobo, archidiacono, qui postea Urbani IV. nomine summi pontificis dignitate ornabatur, quae viderat, aperuit. Qui quidem novum diem festum instituendum decrevit, sed in ejus dubitatione haesit. Tum autem Isabella, Julianae amica, quae ante Christi crucifixi statuam genibus obvolutis se prostraverat, festum illud trinitatis divinae semper fuisse, demum vero ea aetate hominibus colendum esse cognoverat. Quibus argumentis confisa Juliana per clericum quendam hujus diei festi liturgiam constituit theologisque legendam tradidit, qui ad unum omnes non ab homine, sed ab ipso creatore lucis eam compositam esse censuerunt. Attamen in nulla alia dioecesi, nisi in Leodiensi celebrari coeptus, ut communi ecclesiae consensu probaretur, Eva, Julianae amica, efficere non potuit. Sed miraculum, quod Vulsiniis in dioecesi et ditione Urbe Vetana editum erat, Urbanum IV. revelationum a muliere acceptarum haud immemorem, ut universae ecclesiae celebrandum esse censeret, impulit. Nam cum sacrificulus quispiam[b]) sacra missarum solemnia celebraret, sacramento confecto, de panis et vini transsubstantiatione et Christi corpore dubitavit. Quamobrem statim ex hostia, quam manibus tenebat, vivus san-

guis manare coepit et totam mappam tinxit. Quo miraculo attonitus, Urbanus IV. id corporale primum ad se ab urbis episcopo in Urbem Veterem transferri et solemnitate instituta in ecclesia Urbe Vetana recondi jussit, ut in ea corpus Christi majore honore coleretur, quam in quotidianis missis solemnibus. Itaque hunc in modum diem festum celebrandum decrevit:

„Licet[c]) hoc memoriale sacramentum in quotidianis missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur, et dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter haereticorum perfidiam et insaniam, memoria solemnior et celebrior habeatur. In die namque coenae domini, quo die Christus hoc sacramentum instituit, universalis ecclesia pro poenitentium reconciliatione sacri confectione chrismatis adimpletione mandati — circa lotionem pedum et aliis quam plurimum occupata, plane vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa ecclesia observat, ut quamvis in litaniis et missis et aliis ipsorum memoriam saepe renovemus: nihilo tamen minus ipsorum natalitia certis per annum diebus solemniis recolimus, festa propter hoc iisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatem debitum aliquod per negligentiam et rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater ecclesia certum diem, in quo generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum communi celebratione, quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum exsisteret, solveretur. Potissime igitur exsequendum est erga hoc vivificum sacramentum corporis et sanguinis J. C. qui est sanctorum omnium gloria et corona, ut festivitate et celebritate praefulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur: et fideles festivitate ipsa instante intra se praeterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemnibus, secularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim, dum in minore essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis (immo mulierculis mihi familiariter notis) divinitus revelatum festum hujusmodi generaliter in ecclesia celebrandum: nos itaque ad corroborationem et exaltationem catholicae fidei digne ac rationabiliter statuendum duximus, ut de

tanto sacramento praeter quotidianam memoriam, quam de ipsa facit ecclesia, solemnior ac specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes et describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post octavam Pentecostes: ut in ipsa quinta feria devotae turbae fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, et tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda et vota, ora labiaque hymnos persolvant laetitiae salutaris; tunc psallat fides, spes tripudiet; exaltet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, paritas jucundetur; tunc singuli alacri animo pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exsequendo tanti festi solemnia celebrantes. Et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per haec et alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum, qui se dedit pro iis in perniciem, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitae decursum iis se in praemium largiatur. Ideoque universitatem vestram monemus, et hortamur in domino et per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipienda mandamus in remissionem peccaminum injungentes, quatenus tam excelsum et tam gloriosum festum praedicta quinta feria singulis annis devote et solemniter celebretis et faciatis studiose per universas ecclesias civitatum vestrarum et dioecesium celebrari, subditos vestros in dominica dictam quintam feriam proxime praecedente, salutaribus monitis sollicite per vos et alios exhortantes, ut per veram et puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas et sedulas orationes, et alia devotionis et pietatis opera, taliter se studeant praeparare, quod hujus pretiosissimi sacramenti mereanter fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverentur ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum et celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali festi ejusdem officio in ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum, qui vero missae, totidem. Qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis totidem. Illi vero, qui primae, tertiae, nonae, sextae officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis autem, qui per octavas illius festi matutinalibus, vespertinis missae ac praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies, singulis octavarum ipsarum diebus, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum apostolorum ejus Petri

et Pauli authentice confisi de invictis sibi poenitentiis relaxamus.

a) Gieseler: Lehrb. d. Kirchengesch. II. p. 382. ed. III. p. 445. de Julianae revelationibus narrationem confictam et omnino festi causam a me supra allatam minime veram esse opinatur. Etenim Aegidium aequalem in: Gestis pontificum Leodiensium, qui quidem alioquin multus sit in miraculis narrandis, nihil de ea re commemorare, Joannem vero Hocsemium canonicum Leodiensem (Gesta pontificc. Leodic. cp. 6.) nihil afferre, nisi ea, quae ipse Gieseler p. 445. transscripserit. Demum Joannem Blaerum Diesthemium revelationem beatae Julianae A. 1230 divinitus factam de institutione festi corporis non omisisse, — et ob eas causas Onuphrii Panvinii sententiam comprobandam, qui omnes illas revelationes fictas esse putet. Sed primum quidem tenendum est, Urbanum IV., qui antea Archidiaconus Leodiensis fuerat, in decreto supra allato, ipsum a mulierculis quibusdam sibi familiariter notis se accepisse revelationes illas profiteri, ita ut non sine causis gravissimis de ejusmodi testimonio dubitari possit; tum vero Onuphrium Panvinium in annotationibus ad Platinam in vita Urbani IV. ob nullam aliam causam narrationi minime fidem habere, nisi quod turpe et ignominiosum putet, „si hoc festum, quo pontificii aliud non habent majus, in unius mulierculae gratiam institutum diceretur." Itaque Aegidium nullam ejus festi mentionem fecisse, mirandum quidem est, sed quin mulieres illae (quorum fortasse nomina non recte commemorata sunt) divino quodam instinctu tantopere excitatae sint, ut de ejusmodi rebus revelationes percipere *sibi* viderentur, non dubitandum: praesertim cum, quae Panvinius attulit, non minus sint miraculosa, quam illa narratio — Supra Schroeckh: Christl. Kirchengesch. XXVIII. p. 72. ita secutus sum, ut ambas causas, de quibus commemoratum est, conjunctas proponerem, id quod non procul abesse a vero videatur.

b) Vide Raynald. ad annum 1264. No. 26. p. 106. Schroeckh: Christl. Kirchengesch p. 79. Hospinian II. S. T. I. p. 383.

c) Magnum Bullarium Romanum. T. I. p. 146. Vide Gieseler Lehrb. II. 2. p. 446. ed. tert.

§. 18.

Sed cum error, ut ita dicam, ea lege generatus sit, ut denuo gigneret errores, eademque turpitudine, qua veritatem sinceram inquinavit, ea, quae inde sequuntur, deformaret: ex transsubstantiationis quoque doctrina superstitiosa, superstitionis rationes plurimas esse natas, quis est, qui miretur? Multae de sacramenti dignitate ortae sunt sententiae perversae, multa de ea, qua illud colendum esset, pietate commenta, multae denique, quae quasi divinae veritati obductae sunt, caerimoniarum quaedam tenebrae. Eodem enim tempore, quo de transsubstantiatione doctrina concilio probabatur, mos esse coeptus est,[a]) ut Christum, in cujus corpus et sanguinem panis et vinum conversa erant, praesentem fideles venerarentur, ita ut, cum hostia a sacerdote elevaretur, ad tintinnabuli sonitum genibus

prosterneret se omnis populus. Quem morem, qui nonnullis locis jam antea increbruerat, primum induxisse Widonem cardinalem, refert Caesarius Heisterbacensis.[b]) — Qui primus hujus novi moris causam affert, doctrinamque tradit, est Guilelmus Durandus:[c]) „Hostia elevatur, inquit, ut populus non praeveniens consecrationem, sed ex hoc cognoscens, illam factam, et Christum super altare venisse, reverenter ad terram prosternatur.“ Scriptores vero ii, qui Durandi aetate sunt superiores, hunc morem ne significare quidem videntur. Etenim qui de ea re commemoraverunt, Germanus patriarcha Constantinopolitanus, Ivo episcopus Cornutensis, Hugo de St. Victore, quique ab ipsis theologis pontificiis antiquitatis ritus ecclesiastici testes constituti sunt, illam ἀνάδειξιν τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας τροπικῶς ad Christi resurrectionem aut in coelum adscensionem referunt, neque ullam aliam, nisi mysticam quandam in instituto injiciunt notionem. Germanus[d]) enim putat elevationem Christi corporis repraesentare elevationem in crucem, mortem domini et resurrectionem. Ivo[e]) vero Cornutensis fere idem sentit, cum, si panis et calix sublati sint a Dei ministro, Christi in cruce affixi memoriam renovari doceat, quod Hugo de St. Victore fere iisdem verbis repetit. Itaque certissimum est, non ante saeculum p. C. duodecimum elevandae hostiae morem esse inductum, ita tamen, ut jam antea et ab iis, qui Eucharistiam tribuebant, et ab iis, qui comedebant, cum hostia per populum ferretur, similiter sentiretur. Quod quidem institutum A. 1217 auctoritate sua sanxit Honorius III.,[f]) qui decrevit: „ut quilibet sacerdos frequenter doceret plebem suam, ut, cum in celebratione missarum elevaretur hostia salutaris, quilibet reverenter se inclinaret, idem faciens, cum eam deferret presbyter ad infirmum.“ Successor ejus Gregorius IX.[g]) „ut ad Christi corporis et sanguinis confectionem, itemque hostiae elevationem campanula sive tintinnabulum pulsaretur, ut ea audita cuncti in genua se prosternerent hostiamque venerarentur consecratam.“

a) Pontificii quidem theologi velut Bellarmin. lib. II. de missa cp. 15. usque ad apostolorum tempora hunc morem referunt. Quod omnino falsum esse, demonstravit Dallaeus libro, qui inscribitur: adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem disputatio (lib. II. cp. 1—29. p. 216—39, v. Schroeckh Kirchengesch. T. 28. p. 74.) Joa. Guilelm. de Lith: de adoratione panis consecrati et interdictione sacri calicis in Eucharistia. Cf. Hospin. H. S. T. I. p. 474: — „Ad probandam hostiae elevationem in sacra missa testimonia adducunt ex Dionysio, Basilio et Chrysostomo, ad quae tamen solidissime respondit doctissimus Ivellus, ut contra nihil potuerit sua sophistica Bellarminus. Dionysius

lib. III. de ecclesiastica hierarchia sic scribit: **Pontifex divina munera** laude prosequutus, sacrosancta et augustissima mysteria conficit, — et collaudata *εἰς ὄψιν ἄγει* = in conspectum agit, — et dona sacrificiorum commonstrans, ad sacram illorum communionem et ipse accedit et hortatur alios. Haec autem Dionysii verba, inquit Ivellus, nihil ad praesentem causam prorsus faciunt, nisi voluerint dicere, nihil posse a quoquam in conspectum agi sive adduci, nisi supra caput efferatur et tollatur in sublime. Ut autem plene et cumulate possis et fundamentum sensumque horum Dionysii verborum et perversam et novam pontificiorum interpretationem perspicere, scias, illius aetatis consuetudinem fuisse, ut sacramentum in uno pane integrum in sacra mensa poneretur, mundo linteo opertum, donec populo distribueretur. De hac caerimonia Pachymeres scholiastes graecus in dictum locum Dionysii sic scribit: *Ἀποκαλυπτομένων τῶν παναγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, μενόντων δὲ κεκαλυμμένων, ἕως καιροῦ μεταλήψεως.* Ita quoque Maximus in suis ad h. l. scholiis inquit: *ὅτι κεκαλυμμένον ἔμενε τὸ θεῖον δῶρον, ἕως καιροῦ μεταλήψεως* et insuper addit: non solum sanctum panem opertum fuisse, cum produceretur, sed sacrum etiam poculum, quam consuetudinem hodie ait exolevisse. Hanc igitur veteris ecclesiae consuetudinem et ritum, si diligenter consideres, verba Dionysii cuivis erunt clara et perspicua. Commonstrare enim hoc modo et in conspectum proferre, nihil aliud tum erat, quam linteo subducto aperire et praesentia oculis subjicere mysteria. Si Bellarminus hanc interpretationem coactam ac violentam esse dixerit, ipsum audiat Dionysium, sui ipsius interpretem optimum — —: *τὸ γὰρ ἐγκεκαλυμμένον ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψαι, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, — τὰ μὲν ἐγκεκαλυμμένα δῶρα εἰς τὸ ἐμφανὲς ἄγει.* Nihil ergo prorsus Dionysius dicit de elevatione hostiae supra caput, de qua est controversia. Ideo autem subducto linteo panem sacerdos protulit, a mensa extulit, et populo commonstravit, ut consecratum panem adeoque paratam communionem indicaret, et ut populus ad percipiendum se pararet, atque ad mensam accederet. Hanc ob causam sic in Chrysostomi liturgia scribitur: sacerdos ostendit calicem populo, dicens: cum timore Dei et fide et dilectione accedite. Eodem quoque Basilius respexit in libro de spiritu sancto cp. 27. his verbis, quae a Bellarmino dicto loco citantur: verbum, inquit, invocationis, cum ostenditur panis Eucharistia et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto reliquit? Et ad ejusdem liturgiam sic notatur in margine: hic sacerdos hostiam fractam in patena jacentem una cum patena sublevat et ostendit populo. — Quod vero eod. loco Bellarmin. Chrysostomum citat, qui homil. 61. ad populum Antiochenum, item homil. 36 in Corinth. I. et homilia III. in ep. ad. Ephes. mentionem facit illius ritus, qui apud Graecos erat, ut Eucharistia consecraretur ad mensam velis obductam et deinde reductis velis populo ostenderetur: respondeo, neque hoc ad rem pertinere; diducebantur enim vela, ut mysteria a populo praeparata cerni in mensa possent, et ostendebantur populo parum a mensa sublata, non ut sacerdos ea supra caput elevaret. His omnibus illud etiam addendum, quod Bellarminus hanc elevationis caerimoniam tantum ex patribus Graecis adeoque ex orientalis ecclesiae consuetudine probare conetur, cum tamen non ignoret hunc elevandi ritum jam inde a principio ad hodiernum usque diem in graeca ecclesia nunquam usurpatum esse: non igitur patres illi Graeci de ea locuti sunt, sed de alia, ut dictum est. Ex Latinis vero patribus et Romana ecclesia nullum omnino argumentum adducit. — — Sit igitur *ἔνδειξις* vel ostentatio illa Eucharistiae, cujus Dionysius Basilius et Chrysostomus mentionem faciunt, vetustus ritus, fuerit etiam hoc non inutiliter illis temporibus usurpatum, sive cum ex privatorum obla-

tionibus panem et vinum seposuerant in peculiarem sacramentorum usum, sive cum peracta benedictione populum ad communionem praeparabant: cum tamen non hic ritus sit nobis a Deo et apostolis praescriptus, idcirco in ecclesia Christi non est ferendus.“ Contra Bossuetum vero: Explication de la Messe p. 130. cf. quae acutissime disseruit Basnage: Hist. de l'Église p. 993. „— Mais qu' importe, dit Monsr. de Méaux, qu'on ait élevé ou qu'on n' ait pas élevé, si cependant on disoit en marquant le corps de J. Christ par un signe de croix: Voilà l'Agneau de Dieu, le Fils du Père. Si on disoit en le distribuant au peuple: Goûtez et voyez combien le Seigneur est bon. Peut-on le montrer d'une manière plus éclatante? Et chez les Latins on le montroit au fidèle qui alloit le recevoir, en lui disant, c'est le corps de J. Christ, et le fidèle répondoit amen. Que signifioit cet amen, si ce n'est un consentement à la vérité qu'on venoit de proposer? et que sembloit faire l'Église lorsqu'elle exigeoit cet amen, si ce n'est de confesser J. Christ présent? N'est-ce pas un acte de foi attaché à J. Christ présent? Et confesser J. Christ de cette sorte, qu'est-ce autre chose que de l'adorer? Et Saint Pierre l'adora-t-il davantage, lors qu'il lui dit, vous êtes le Christ, le Fils du Dieu vivant?“

Il paroît que Monsr. de Méaux ignore l'importance de l'élévation du Sacrement dont nous parlons. C'est pourquoi il est bon de la lui découvrir. Cette élévation n'est pas indifférente, mais absolument nécessaire, de peur que le peuple ne se trompe au moment de la consécration, et que précipitant son culte, il n'adore du pain au lieu du corps du Fils de Dieu; adorer du pain est un acte d'idolatrie damnable, adorer le corps de Jésus est un acte de dévotion nécessaire. Il y a entre ces deux choses une (un) abîme profond, une différence terrible; il est de la dernière importance de marquer le moment, où cette adoration est criminelle ou légitime. C'est là l'usage de l'élévation, sans laquelle il est impossible que le peuple puisse adorer à-propos, puisque les paroles de la consécration se prononcent à basse voix. Un Nouveau Converti, qui veut voir l'Eucharistie adorée dans les premiers siècles de l'Église, a raison à demander où étoit l'élevation, et cette élévation ne se trouvant qu'au septième siècle chez les Grecs pour une raison mystique différente de l'adoration et n' ayant passé chez les Latins que dans l'onzième et dans le treizième siècle, il a raison de conclure qu'on n' adoroit point l'Eucharistie dans l'Église, dans la célébration de la Messe, l'espace de douze cents ans. Mr. de Méaux a si bien senti que ce n'étoit pas une chose indifférente, qu'il tâche de substituer à l'élévation moderne je ne sais quoi de semblable; il dit qu'on montroit le Sacrement au communiant, lorsqu'on le distribuoit, et qu'on lui disoit c'est là le corps de J. Christ: personne n'en doute; on ne donnoit point le Sacrement enveloppé, on ne le portoit pas à la bouche du communiant, on ne le mettoit point dans sa main. On avoit raison de lui dire, c'est là le corps de J. Christ. Voyez, goutez combien le Seigneur est bon. Le Réformé prononce les mêmes paroles, lorsqu'il distribue la communion, mais ce n'est pas là l'élévation qu'on cherche, et qui est en usage dans l'Église Latine. Monsr. de Méaux s'écrie, peut-on montrer le Sacrement d'une maniere plus efficace et plus éclatante? On lui répondra qu'oui, que Monsr. de Méaux lui-même le fait, on le doit faire tous les jours, lorsqu'on élève solennellement l'hostie, qu'on en gesticule trois fois en l'air, afin que tout le peuple qui est présent, non seulement la voye, mais qu'il l'adore; ce qui ne se pratiquoit point chez les Anciens. A la faveur d'une exclamation, Mr. de Méaux fait illusion à son Catechumène, en confondant deux choses très-différentes; quand on confondroit ces deux

choses, cela ne suffiroit pas, car il n' y a point là d'adoration. On veut la trouver dans les paroles du peuple, qui répondoit amen etc. Cf. Shroeckh T. 28. p. 73. Larroque histoire de l'Eucharistie p. 108 et 536.

b) de Miraculis et visionibus sui temporis dialogi lib. IX. cp. 51. v. Gieseler II. 2. p. 381.

c) Rationale divinorum officiorum lib. IV. de sexta parte canonis missae.

d) in: Theoria v. T. XII. bibliothecae patrum Lugdun. p. 407. cf. Larroque l. l. p. 110. L'auteur de cette théorie étant venu à l'examen de cette élévation, qui s'étoit introduite dans l'église environ le VI. siècle, fait assez connaître, qu'il n'avoit pas en vue l'adoration du sacrement, mais seulement de représenter l'élévation de notre Seigneur en la croix, et que c'était là sa véritable fin et son légitime usage.

e) de Sacrificio missae T. II. biblioth. patr. p. 602.

f) Vid. Gieseler II. 2. p. 381.

g) Hospin. II. S. p. 371.

§. 19.

Quo ritu instituto populus caerimoniarum splendorem et magnificentiam quidem auctam, sacramenti vero dignitatem mox vidit deminutam. Eucharistiam enim, cujus veram naturam nihil aliud indagare potest, nisi mens sacris Christianis initiata, tanquam tremendum mysterium, ut motibus gestibusque colendum, minime cogitatione concipiendum censeret, a sacerdotibus saepissime admonitus est. Quibus cum resistere non auderet, summam potius praestaret reverentiam: ne ea quidem, quae debuit obtinere, jura persecutus esse videatur. Namque cum calicem, qui infantibus, quibus antea tribui solebat, optimo jure media aetate paullatim non jam concedebatur, laici universi, cum a sacerdotibus sibi eripi paterentur, salvatoris ipsius praeceptum, qui ut omnes biberent, mandavit, neglexisse dicendi sunt. Periculum vero, quod effugere cupiebant ii, qui, ne quid vini effunderent, cavere debebant, quique ex sec. IX., quo facilius id assequi possent, fistulam quandam adhibere jussi erant, tantopere in majus tollebatur ab iis, qui administrabant sacra officia, ut laici illius timore perterriti, domini institutum contemnere mallent, quam sacerdotum contra se commovere invidiam. Itaque eo aevo, quo transsubstantiationis doctrina ecclesiae catholicae probata est, interdum factum est, ut qui non essent clerici aut religiosi, a vino bibendo prohiberentur. Quam quidem consuetudinem non ante sec. XIII.[a]) auctoritate ecclesiae receptam esse, ipsi pontificii theologi, velut Bona[b]) cardinalis et Mabillonius,[c]) negare non audent. Sed postquam Rudolphus[d]) abbas St. Trudonis admonuit:

Hic et ibi cautela fiat, ne presbyter aegris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter simplexque putaret,
Quod non sub specie sit Jesus totus utraque.

et Arnulphus,[e]) episcopus urbis, quae vocatur Rochester, ad Lambertum, qui de novo illo more se mirari professus erat, a Christo ecclesiae licentiam datam esse respondit, sacramentorum ea ratione, qua vellet, distribuendorum, aeque ac Robertus Pulleynus,[f]) qui qua ratione Eucharistia a laicis sumi deberet, sponsae suae commisisse dominum judicio putavit: magis magisque illa mutilandi sacramenti consuetudo asciscebatur, ita tamen, ut sec. XII. potissimum auctoritate Petri Lombardi,[g]) qui sub duplici specie Eucharistiam accipiendam censuit, quominus altera negligeretur, a multis impediretur sacerdotibus. Sed haud ita multo post jam Alexander Halesius[h]) et ritum illum laicorum a sumendo calice prohibendorum fere ubique[i]) esse refert, et: „propter periculum effusionis, quod forte accideret, si sub specie vini dispensaretur, tum propter vitii infidelitatis amotionem, quod se non immerito simplicium mentibus se ingereret, si semper sub specie panis et vini daretur," jure id factum esse judicat. Potissimum vero auctoritas Thomae Aquinatis,[k]) qui et eadem argumenta attulit et nova addidit, id effecit, ut populus non jam ad vinum bibendum accederet. Etenim, „cum perfectio hujus sacramenti, inquit Thomas, non esset in usu fidelium, sed in consecratione materiae, nihil derogaret perfectioni hujus sacramenti, si populus sumeret corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumeret utrumque." Atque Bonaventura,[l]) qui subtilissime discernendum duxit „inter signantiam et efficaciam sacramenti ac jure fideles recipere perfectum sacramentum sub una specie, quod ad efficaciam reciperent," judicavit, tantopere valuit apud animos hominum, ut ipsius sententia communi consensu ecclesiae probaretur, Constantiensis vero synodi postea lege sanciretur. Id quod nobis mirum non esse debet: vel maxime enim ad eam doctrinam praeparati erant animi. Nam cum Thomas monachorum dominicanorum, Bonaventura franciscanorum eodem tempore essent ornamenta, ab utriusque igitur ordinis sociis magistrorum opiniones per omnes fere terras propagarentur, factum est, ut quam celerrime in regionibus spatiorum intervallo distantibus, simul sacerdotes in hoc instituto, ut ita dicam, initiarentur. Qui quidem ne in errores inducerent, saepe ad-

monebantur, ut docerent laicos, „id quod iis in calice propinaretur, non esse sacramentum, sed vinum purum hauriendum traditum, ut facilius, quod accepissent, siccum corpus glutirent.“ „Solis enim celebrantibus, ut sanguinem sub specie vini consecrati sumerent, esse concessum.“ — Attamen usque ad sec. XIV.[m]) hic et illic vetus mos servabatur, potissimum in monasteriis, quae plurimum auctoritate pollebant, velut in Cluniacensi, aut novus inducebatur, qui quasi inter ambos medius interpositus erat, ita ut „post sumtionem corporis et sanguinis aliquid ipsius sanguinis in calice servaretur et vinum purum super infunderetur.“ — Tandem vero concilii Constantiensis sessione XIII. altera species abrogata est, cujus hoc est decretum: Hoc praesens concilium sacrum generale Constantiense in spiritu sancto legitime congregatum declarat, decernit et definit, quod licet Christus coenam instituerit et suis discipulis administraverit sub ***utraque*** specie panis et vini, et in primitiva ecclesia sic etiam a fidelibus receptum fuerit: tamen, ***hoc non obstante*** (!), ad evitandum aliqua pericula et scandala posthac a conficientibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur: cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine ecclesiae auctoritate pro nihilo mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem servare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum, tanquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi. Haec sancta synodus decernit, ut effectualiter puniantur, qui communicant populum sub utraque specie et sic faciendum esse docent. Quodsi ad poenitentiam redierint, ad gremium ecclesiae recipiantur, injuncta iis pro modo culpae poenitentia salutari; qui vero ex illis ad poenitentiam redire non curaverint, animo indurato, per censuram ecclesiasticam, ut haeretici, coërceantur, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

a) Cf. in universum Calixt. de communione sub utraque specie. Larroque histoire de l'Eucharistie p. 142. ff. De Lith. de aderatione panis consecrati et interdictione calicis in Eucharistia. Spittler Gesch. des Kelches im Abendmahl. — A prima aetate ecclesiae usque ad saec. XII.

aut XIII. sub utraque specie communionem fieri solitam esse, ostenderunt plurimis ex sanctis patribus locis allatis Larroque l. l. p. 140. 154 et Chemnitius Examen p. 302—305. (Vid. praeterea Leonis I. sermo IV. de Quadragesima apud Gieseler T. I. p. 379. Chrysost. hom. 18 in ep. II. ad Corinth. ibid. p. 531.) Mutilati vero sacramenti causa potissimum quidem a transsubstantiationis doctrina repetenda est, latet autem quodammodo in Eucharistiae distribuendae, quae jam antea in morem venerat, ratione. Etenim jam ultimis Christianae antiquitatis temporibus haud raro panis vino tinctus fratribus absentibus, potissimum vero aegrotis et infantibus, afferri solebat. (Euseb. hist. eccl. lib. VI. cp. 44. v. Larroque l. l. p. 145. Cyprian. sermo IV. de lapsis. Prosper de promissionibus cp. 6 et 26. apud Hospin. p. 374.) Praeterea vero, qui ad integrum sacramentum fruendum accesserant, panem consecratum domum ferebant, quo post satis longum temporis intervallum vescebantur. v. Hospin. I. p. 373. Hujus consuetudinis mentionem fecit Tertull. ad uxorem lib. II. cp. V. cf. praeterea Hospin. l. l. I. p. 188. Basnage histoire de l'Église p. 881. Sed hanc consuetudinem abrogavit concilium Toletanum I. A. 400 et Caesar. Augustanum 518. Deinde tempore Leonis I. papae Manichaei, qui Christi corpus exsangue fuisse opinabantur, ne calix sumeretur, impedire tentaverunt, contra quos vehementer invectus est Leo I. sermo IV. de Quadrages. v. supra. Tum autem Gelasius (vid. Natalis Alexander historia V. et N. T. Tom. V. p. 148). A. 490. cum non solum haeretici, sed etiam ipsi Christiani superstitiosi idem assequi conarentur, hunc in modum Majorio et Joanni epistolam scripsit: „Comperimus, quod quidem sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant, quod nescio, qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio nequit provenire. Denique (Hospin. I. l. I. p. 374) quibusdam illum morem panis vino intingendi —, qui ne calice adhibendo quid vini effunderetur timebant —, in legitimum usum ecclesiae inducere cupientibus, concilium Toletanum tertium A. 589 decrevit (Larroque l. l. p. 144. Natalis Alex. Tom. V. p. 433. 34. Bruns: Canones Apostolorum et Conciliorum Saeculorum IV. V. VI. VII. Pars prior. p. 212): „ut omnes sacrificii tempore ante communionem corporis Christi vel sanguinis juxta orientalium partium morem unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant symbolum, ut primum populi quid credulitate teneant, fateantur et sic corda fide purificata ad Christi corpus et sanguinem percipiendum exhibeant.“ Similiter concilium Bracarense A. 675 canone VI. decrevit. (Natal. Alex. V. p. 538. Basnage l. l. p. 886.) ex quo secundum Larroquii interpretationem gallicam haec excerpsi: „Nous avons ouï, que quelques-uns présentent aux peuples pour accomplissement de communion, ou pour une communion parfaite l'Eucharistie trempée. Et quant à ce qu'ils donnent aux peuples pour une parfaite communion l'Eucharistie trempée, le témoignage de l'Evangile, que l'on produit, où Jésus Christ a recommandé aux apôtres son corps et son sang, ne le souffre point: car il est dit, qu'il a recommandé le pain à-part et le calice à-part. Et nous ne lisons point, que Jés. Chr. ait donné du pain trempé à d'autres, qu'à ce disciple seulement, que le morceau trempé devoit faire connoître pour celui, qui devoit trahir son maître, et non pas pour montrer l'institution de ce sacrement.“ Quin etiam ipse Urbanus II. papa (cf. Baronius Tom II. ad A. 1095. Natalis Alexander Tom V. p. 30.) non panem sine vino dandum decrevit, nisi qua necessitas cogeret, et Paschalis II. (cf. ejus Ep. ad. Pontium abbatem Uniacensem ep. 32. v. Schroeckh Kirchengesch. Tom 28. p. 84.) A. 1099 symbola separata distribui jussit praeter infan-

tes et aegrotos omnibus. Cf. praeterea testimonia a Larroquio allata p. 147. 48. velut: Théodulphe évêque d'Orléans, parlant de la vie éternelle, pour obtenir, dit-il, cette vie, nous sommes baptisés et nous sommes nourris de la chaire de Jés. Chr. et abruvés (abreuvés?) de son sang. — Sec. vero X. tamen hic et illic ritus ille conciliis damnatus a nonnullis interdum adhibitus est. cf. Larroque l. l.

b) Bona rerum liturgicarum lib. II. cp. 18. p. 594.

c) V. Gieseler l. l. II. 2. p. 438.

d) Vide de Lith. l. l. p. 594. Schroeckh: Kirchengeschichte. Tom. XXVIII. p. 85.

e) Epistola II. in D'Achery spicilegium III. p. 470.

f) Sentt. VIII. cp. 3.

g) V. Gieseler II. 2. p. 375.

h) In Sententt. lib. IV. quaest. 53. membr. I. v. Chemnitius Examen p. 329.

i) Non sine ratione Spittlerus l. l. p. 30 et 98. monuit, ne illis verbis „fere ubique" nimis multum tribueretur propter decretum synodi Dunelmensis (Gieseler II. 2. p. 375.) et Alberti Magni judicium (v. Schroeckh Tom XXVIII. p. 92.)

k) Cf. Schroeckh Tom XXVIII. p. 94. 95. 96.

l) In Sentt. IV. dist. XI. p. II. art. I. quaest. II. V. Gieseler II. 2. p. 379.

m) Cf. Larroque l. l. p. 152. 153. 154.: Guillaume de Monte Laudano: en plusieurs lieux, dit-il, on communie avec le pain et le vin, c'est à dire avec le sacrement entier. Et Pierre de Palude témoigne, que de son temps c'étoit la coutume en plusieurs églises de communier sous l'une et sous l'autre espèce ect. ect. Cf. Schroeckh XXVIII. p. 98. 99.

III. CALAMITAS INDE ENATA.

§. 20.

Transsubstantiationis igitur dogmate ab ecclesia sancito et iis, quae inde originem repetiverunt, caerimoniis perversis paullatim institutis, Christianorum animos superstitione imbutos vitamque inquinatam esse, quis est, qui miretur? — — Quam quidem calamitatem, etsi fuit acerba, tamen, cum non admodum diversa sit ab ea, quam ex sacrificii missae errore natam esse supra ostendi, significasse tantum satis habeo, alias vero non minus perniciosas fusius enarrandas esse duco. Multi enim, qui religionis Christianae naturam indagare veramque rationem exsequi studerent, neque illum errorem probarent et superstitionem, qua impleti mortales, in sacramenti vi quadam magica stultissime confidentes, vera pietate Deum colere omittebant, abolere conarentur: fieri non potuit, quin magnas excitarent rerum perturbationes. Namque transsubstantiationis error, de quo argumentis confirmando jam non-

nulli desperaverant scholastici, sensim eos, qui potentiae ecclesiasticae resistere audebant, exacerbare et commovere debuit, ut evaderent adversarii, atque pericula, et, quae undique imminebant, discrimina ultro subirent. Sic igitur certaminibus cum ecclesiae principibus acerbissime initis, plurimae ortae vexationes et insignes miseriarum excitatae sunt tempestates. Quo factum est, ut eorum, quos Haereticos appellare solent mediae aetatis scriptores, cum veritatis ab erroribus defendendae non tam praemium caperent, quam gravissima poena tenerentur, alii flagrantissimo ipsorum studio in errorem ecclesiastico etiam foediorem inducerentur, alii adeo deficerent a religione Christiana. Nam quoniam ecclesiae doctrina notionem signo ita confuderat, ut soli caerimoniae plurimum, fidei hominum nihil tribueret, illorum non pauci inventi sunt, qui aut sacramentum comedere recusarent, aut, si in Domini memoriam fruebantur, omnem veram negarent praesentiam. Itaque cum erroribus errores nascerentur ecclesiaeque doctrinae perversae, quae emendenda erat, nihil aliud nisi opinionum commenta opponerentur, seditiones oriebantur plurimae, crudelitates adhibebantur inauditae, et ita in omne duritatis genus erumpebatur, ut, qui de iis audiverunt, eorum animos quasi horror perstringeret. Quis enim est, Albigensibus et Waldensibus, qui praeter alios errores etiam transsubstantiationis doctrinam repudiaverant, a summis pontificibus bella illata, si reputet, qui non, cum immanitatis exempla comperta habeat, praecipuo quodam animi dolore angatur? Quis, qui quaestionem in Berengarium Turonensem habitam si cognoverit, — etsi a vera via ipse deflexerat, — minime ex aequo judicatum esse profiteatur? — Berengarius enim vexatus, damnatus, vix amicorum praesidiis a suppliciis acerbissimis liberatus, ipsius doctrina, quae multo propius, quam ecclesiastica, ad veritatem accessit, multorum hominum iram contra paparum duritatem concitavit, eorumque haud ita paucos induxit, ut a religione divinitus tradita omnino degenerarent. Etenim fere eodem tempore, quo vixit Berengarius, exstiterunt plurimi haeretici, velut Cathari, qui cum dogma paparum commentum esse intelligerent, ejus perversitatem quidem abolerent, in contrarium vero errorem, non minus perniciosum illaberentur. Nam cum sectarum origo semper ab iis repetatur temporibus, quibus Christianis iis, qui, divino quodam spiritu afflati, doctrinam cogitatione percipiant, ratio universae ecclesiae erroribus captae vel maxime displiceat: eo aevo, quo

caerimoniarum ingens copia omnem pietatem, ut ita dicam, servitutis vinculo teneret oppressam, plurimos esse ortos haereticos, qui recuperandae libertatis desiderio flagrarent, non est, quod miremur. — Potissimum vero Berengarius Turonensis, de cujus vera doctrina inter viros doctos adhuc sententiarum diversitas est, quum omnium illorum haereticorum princeps sit, qui commemoretur, dignissimus est.

§. 21.

De quo quidem viro clarissimo[a]) fere usque ad nostram memoriam judicia facta sunt falsissima, quod et fons, ex quo vera ejus doctrina hauriri posset, latebat, et ea, quae ex adversariorum libris nota erant, non sine opinione praejudicata a rerum scriptoribus tradebantur. Exstabant enim nullae illius causae alia documenta nisi Berengarii epistolae ad Lanfrancum,[b]) Adelmannum[c]) Ascelinum[d]) Richardum et conciliorum, quibus ejus opinio rejecta est, decretorum nonnullae formulae, et adversariorum libri, velut: Durandi[e]) de corpore et sanguine Domini contra Berengarium, Guitmundi[f]), archiepiscopi Aversani, de corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia libri III, Hugonis Lingonensis de corpore et sanguine Domini, Adelmanni[g]) de veritate corpore et sanguine Domini ad Berengarium epistola, Lanfranci de corpore et sanguine Domini liber, — minime vero ipsius Berengarii contra Lanfrancum libellus. Itaque, qui de ejus viri sententia judicaverunt, et Franciscus de Roye[h]) et qui earum rerum acutissimus perscrutator est, Mabillonius[i]) et Oudinus,[k]) qui primus Berengarii defensor exstitit, et qui litterarum gallicarum amplissimam historiam conscripserunt, Benedictini propter documentorum, qua premebantur, inopiam, ut ipsum Berengarii sententiae fontem aperirent, fieri non potuit. Tum autem Lessingius, vir summus, in bibliotheca Guelpherbytana eum librum, quem Berengarius contra Lanfrancum posteriorem scripserat, fere integrum quidem invenit, sed quam annuntiavit editionem, non absolvit. Quam typis excudendam cum Staeudlinus[l]) curare incepisset et Hemsenius perrexisset, Neanderus,[m]) vir summus, A. 1834. ad finem perduxit. Itaque quo luculentius ejus doctrina vera intelligatur, ex hoc libro ea ad verbum proponam, quae ad judicium justum faciendum valeant. Antea vero pauca de ejus vita et damnatione multiplici disserendum esse censeo.

Berengarius verisimiliter Turoni, anno, qui non satis accurate definiri potest,[n]) natus Fulberti, scholae Cornutensis magistri clarissimi, ut in altiores litterarum et theologicarum et philosophicarum recessus penetraret, disciplinae traditus, mox inter aequales tantopere excellebat, ut in numerum eorum discipulorum, qui arctissima consuetudine Fulberto conjungerentur, ultro referretur. Inter quos magistro, quum ut et virtutem colerent et fidem a patribus traditam servarent,[o]) adolescentes adhortaretur, Berengarius non raro restitit, eos libros, qui contra dogmata catholica compositi erant, summo studio legit et ex iis argumenta ad illius auctoritatem infringendam excerpsit, plurimum vero temporis in operibus scriptorum antiquorum perscrutandis consumsit. Cornuto redux clericorum ordini adscriptus ecclesiae sancti Martini, scholae Turonensis scholasticus creatus, litterarum antiquaram studia urgere jussus et temporis intervallo haud ita longo Andegavensis[p]) ecclesiae archidiaconus nominatus est, ita tamen, ut scholae, quae Turoni florebat, etiam in posterum praeponeretur. Quo loco constitutus sententias, quas ferebat a fide catholica diversas, tam ingenue cum discipulis communicavit, ut mox ad ejus amicorum aures pervenirent, Galliae vero sacerdotum in eum converterent oculos. Jam anno 1045. Adelmannus scholasticus Leodiensis, quocum Cornuti Fulberti scholis interfuerat, se ante annos duos percepisse Berengarium sententiam de coena domini falsam ferre, et se litteras hac de re dedisse, in epistola scripsit, et A. 1049. Hugo Lingonensis librum ad opinionem ejus refutandam composuit. Itaque certissimum est, quod Mabillonius[q]) aliis quoque argumentis allatis ostendit, jam ante A. 1050 Berengarium ecclesiae catholicae fidem impugnasse, eam autem, cujus postea esset, sententiam non satis enodavisse. Attamen quam ad Lanfrancum, monasterii Beccensis priorem, dedit, epistola, qua sibi Joa. Scoti de Eucharistia doctrinam probari, Paschasii vero falsam haberi professus erat, quamvis non eam, quam postea habebat, opinionem contineret, tamen causa fuit, cur mox ea res ad Pontificem Romanum allata maximum Berengario inferret calamitatem. Lanfrancus enim, cum absens esset, epistolam non accepit; a nuntio autem quibusdam legendam traditam esse audivit, et ut erroris suspicionem a se averteret, Romam profectus cum summo pontifice communicavit. Qua cognita postquam jussu Leonis IX. concilio Romano[r]) A. 1050 absentis Berengarii doctrina

damnata est, mox proximo post eum, quo Romanum concilium erat, mense Septembri, secunda Vercellis[s]) synodus indicta est. In qua ut ipse adesset, admonitus quidem erat, sed quod in concilio in Gallia non habendo se sistere non deberet, venire reformidavit. Sed duos clericos ut defensores exsisterent, Romam mittendos censuit, quibus non auditis et in vincula conjectis, Berengarii haeresis iterum damnata est. Qua damnatione duplici omnium clericorum oculi in unum Berengarium convertebantur, plurimorum invidia excitabatur, nonnullorum autem cum eo contrahebatur amicitia. In quibus cum haberetur Hildebrandus legatus a latere et subdiaconus, qui ad moderandum concilium Turonense advenerat, Berengarium fidei formula perlecta in ecclesiae catholicae societatem assumsit. Attamen quominus ille in synodo, quae A. 1059. a Nicolao II.[t]) Romae habebatur, aliam fidei formulam, quae a Humberto cardinali composita, doctrinam Paschasii luculentissime tradebat, subscribere cogeretur, nullo modo impedire potuit. Berengarius autem, postquam se periculo, quod vitae suae immineret, liberatum cognovit, etsi ab Alexandro II. monitus est, ut a doctrina perversa resipisceret, sententiam, quam modo improbaverat, ingenue probavit, Paschasium acerbissime vituperavit, se „jam imminentis mortis timore perturbatum de veritate conticuisse“ professus est. Ita factum est, ut ad opinionem probandam ad Lanfrancum et Richardum eum librum scriberet, cujus fragmenta tantum apud Lanfrancum exstant. Ad quem librum priorem refutandum, cum Lanfrancus omnes nervos intendisset: Berengarius id opus, quod nuper Lessingius invenit, maxima cum diligentia composuit, ex patribus argumenta attulit, artem dialecticam ad adversarium refellendum adhibuit, ita ut usque ad aetatem Reformatorum acutissimus catholicae fidei impugnator jure habeatur. Eo autem tempore, quo tota ecclesia Paschasii sententiam comprobavit, fere unus, etsi restitit, vincere non potuit. Namque Berengarius ne Gregorii VII.[u]) quidem auctoritate ab hostibus plurimis defensus concilio Romano A. 1079. novam fidei formulam recitare coactus est, quae ipsius sententiae omnino erat contraria. Etenim etsi Gregorius ea formula, quam ab eo legi A. 1078. jusserat, quaeque ita concinnata erat, ut et catholicam et Berengarii doctrinam simul continere videretur, — prout quisque verba interpretari studuit, ad tempus amicum ex adversariorum manibus eripuit, tamen nullis artibus adhibitis, ne iterum in jus vocatus fidei catholicae formulam expres-

sis verbis legeret, efficere potuit. Attamen cum voluntatibus sacerdotum satisfecisset, ut ab omni impetu tutum eum redderet, insulam St. Cosmae habitandam dedit, in qua cum quod reliquum erat ejus vitae, in summa tranquillitate transegisset, mortuus in claustro Martini Turoni sepultus est. Propter hanc, quam degit, vitam solitariam et auctoritatem, qua senex apud monachos tantum pollebat, ut mortis memoriam diebus festis renovarent, Mabillonius[v]) et scriptores litterarum gallicarum historiae[x]) contenderunt, in catholicam communionem Berengarium decessisse, quod revera Guilelmus Malmesburiensis, ejus fere aequalis, tradidit, sed non ita, ut nobis reputantibus probaretur. Obstant enim viri contumacia et animi firmitas, quam saepissime in vita ostendit, obstant argumentorum inopia et debilitas, obstat ratio testimoniorum, quae ab iis edita sunt, quorum multum intererat, ut ad dogma transsubstantiationis rediisse videretur. Verisimillimum est, eas expiationes, quas subibat, ut multarum retractationum poenas lueret, ab iis, qui in vicinia habitabant, ad sententiam, quam tulerat de Eucharistia, immutatam relatas tantam eorum, qui adversarii ejus fuerant, benevolentiam reconciliasse, ut in numero haberetur sanctorum. Sed jam Moshemius[y]) et Lessingius hanc ejus conversionem ad fidem catholicam omnino vanam et commentitiam esse ostenderunt.

a) In universum cf. Staeudlin Archiv für alte und neue Kirchengeschichte herausgeg. v. St. und Tzschirner T. 2. p. 1—98. Mabillon. Actt. S. 8. sancti ord. Bened. in saeculorum classes distributa saec. VI. praef. §. 2—5. Idem Dissert. de multiplici Berengarii damnatione, fidei professione et relapsu deque ejus poenitentia in: Bibliotheca historiae haeresiologicae Tom. I. fasc. 1. p. 99. Histoire littéraire de la France Tom. VIII. p. 197—238. Larroque: Histoire de l'Eucharistie p. 431. Basnage histoire de l'Église p. 1392 sq. Centur. Magdeburg. XI. p. 238—241. Baumgarten-Crusius Dogmengeschichte Tom. II. p. 459. Muenscher l. l. II. 1. p. 237. Hospinianus: Hist. Sacram. T. I. p. 332.

b) Cf. Opp. Lanfranci ed. D'Achery.

c) Purgatoria epistola in Martene et Durand thesaur. IV. p. 109.

d) Vid. Opp. Lanfranci p. 24. cf. Staeudlin l. l. p. 44.

e) V. Opp. Lanfranci ed. D'Achery.

f) In: Bibliotheca maxima patr. Lugdun. Tom. 18. p. 441. cf. Basnage l. l. p. 1396.

g) Edid. Cornelius Arnold Schmid Brunovici 1770. cf. Hospin. T. I. p. 535. qui quidem minime juste judicavit, ne Adelmannum quidem transsubstantiationis fidem amplexum esse.

h) V. Staeudlin l. l. p. 1.

i) Actt. S. S. ordinis Bened. sec. VI. praef. p. 15—22.

k) Dissertatio de vita, scriptis et doctrina Berengarii.

l) Vid. ejus programmata A. 1820—29 scripta.

m) Berengarii liber de sacra coenà contra Lanfrancum posterior, edidd. Vischer moderante Neandro. Berlin. 1834.

n) Baronius A. 999 eum natum esse putat, quod mihi maxime probatur: Oudinus A. 1020. quod omnino falsum esse, ostendit Staeudlin l. l. p. 7. ann. 14.

o) De Berengarii ingenio et moribus diversissime judicatur; ejus adversarii Guitmundi sententiam probat Mabillon. l. l. p. 9. „Qualis fuerit Berengarius, unus omnium optime expressit Guitmundus init. libri I. ubi hominis morem descripsit his verbis: Is ergo, inquit, cum juveniles adhuc in scholis ageret annos, ut ajunt, qui eum tum noverunt, elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeo curabat —, libros insuper artium contemnebat, sed cum per se attingere philosophiae altioris secreta non posset, neque enim homo ita acutus erat, sed tunc temporis liberales artes intra Gallias paene obsoleverant, novis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimium gaudet, singularis scientiae laudem sibi arrogare et cujusdam excellentiae gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat ect. ect.“ Sed ejusmodi judicium minime justum esse, ostendunt aliorum summa auctoritate hominum testimonia, qui etsi ne ipsi quidem illius sententiae erant, tamen ejus magnae in litteris laudi nihil obtrectabant, velut Hugo Lingonensis (v. Lanfranci Opp. ed. d'Achery p. 68.) et alii, de quibus cf. Larroque p. 432. cf. Basnage p. 1319. Bossuet: Einleitung in die Geschichte der Welt und der Religion fortgesetzt von Cramer Tom. V. P. 1. p. 266.

p) Ut A. 1040 archidiaconus Andegavensis fuerit, sequitur ex literis Theodorici Cornutensis episcopi A. 1040. ipsa die Consecrationis datis, in quibus Berengarius archidiaconus „cum aliis, qui ex civitate Andegavensi erant subscripti,“ appellatur v. Mabillon l. l. p. 11.

q) Mabillon Act. S. S. praef. p. 10. cf. Lessing Berengarius Turonensis p. 84. Basnage hist. p. 1396, qui jam anno 1035 Berengarium doctrinam suam tradidisse putat: Ce fut l'an 1035, que Berenger commença à publier ce qu'il pensoit sur l'Eucharistie, on le laissa très-longtemps répandre paisiblement ses pensées, puisque le premier, qui se levait contre Berenger, fut Adelmann. Cet Adelmann était Théologal de Liège sous l'évêque de Ouduin; celui-ci ne fut évêque, que l'an 1080. Il y a donc beaucoup d'apparence, qu'on laissa couler douze ou quinze ans avant que de remuer contre Berenger.

r) Vid. Lanfrancus de Eucharistia, cp. IV. Berengar. de sacra coena p. 36. cf. Gieseler II. 2. p. 197. Hospin. p. 137.

s) De tempore concilii Vercellensis, quod nonnulli in A. 1053 referunt, v. Mabillon Actt. praef. p. 12—14. et in Bibliotheca haeresiologica p. 103. Eodem anno Cal. Nov. Lutetiae Parisiorum teste Durando abbate concilium congregatum est, quod quidem etsi Henricus I. rex cogendum esse decreverat, tamen, cum Deoduinus, episcopus Leodiensis, ut a proposito desisteret, admonuisset (Vid Mabillon Analecta ed. II. p. 446.) revera non coactum esse videtur, quod Lessing. p. 148. satis ostendit. Cf. Gieseler II. 1. p. 201. (Staeudl. vero Lessingio non consentit l. l. p. 34.) Larroque hist. p. 435. Quelle apparence que Lanfranc, qui écrivit contre Berenger après ce prétendu concile, l'eût passé sous silence, lui qui raconte si exactement tous les conciles, qui furent assemblés contre Berenger et à quelques-uns desquels il assista.

t) Mabillon in Histor. haeres. 1006.: Mortuo Victore, qui in locum Leonis suffectus erat et Stephano, Victoris successore, Romanam ecclesiam rexit Nicolaus II, cujus mandatum alterum Romae concilium centum et tredecim episcoporum A. MLXX. cogitur, in quo Berengarius haeresim

suam tertio abjuravit et libros proprios haereseos concremavit." Formula autem, cui consentire coactus est, haec est (Cf. Mabillon Act. p. 18.): „Ego Berengarius indignus diaconus ecclesiae St. Mauricii Andegavensis cognoscens veram catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem haeresin, praecipue eam, de qua hactenus infamatus sum, quae adstruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum et non verum corpus et sanguinem domini nostri J. C. esse, nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctae Romanae et apostolicae sedi et ore eandem fidem de sacramentis dominicae mensae tenere, quam Dominus et venerabilis papa Nicolaus et haec sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidit mihique firmavit, scilicet panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Dom. nostri J. C. esse, et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam et homousiam trinitatem et per haec sacrosancta Christi evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis aeterno anathemate dignos pronuntio. Quid si ipse aliquando aliquid contra haec sentire et praedicare praesumsero: subjaceam canonum severitati. Lecto et perlecto sponte subscripsi."

u) „Alexandro II. suffectus A. 1073. Gregor. VII. anno secundo Pictavis coegit synodum episcoporum praesidente Gerardo cardinali et episcopi Ostiensi atque Gregorii legato, ubi agitata est denuo eadem causa tanto animorum aestu, ut Berengarius, qui praesens aderat, fere interemtus sit, testante Chronographo Maxentiano, qui Id. Januar. id contigisse tradit." V. Mabillon Act. p. 20.

v) Act. S. S. praef. §. 5. Vogtius Bibliotheca Haeres. p. 115.

x) Histoire littéraire de la France Tom. VIII. p. 213.

y) Institutiones Historiae eccl. p. 431. Lessing l. l. p. 44. Sed jam ante eos Larroque histoire de l'Eucharist. p. 439. acutissime sic disseruit: Guillaume de Malmesbourg historien anglais dit bien, qu'après avoir déshonoré le premier feu de la jeunesse par la défense de quelques hérésies, il se repentit dans un âge plus mûr. Mais parce qu'il se rencontre dans l'histoire de Berenger des choses, qui ne semblent pas saccorder trop-bien avec le récit de cet historien, il est à propos de les examiner. On demeure d'accord, que Berenger commença à faire connaître ses sentimens environ l'an 1035. (Hunc annum quamquam etiam Basnagius probat, non accurate definiri posse puto); il falloit, qu'il eût alors pour le moins trente ans. car il n'y a point d'apparence, qu'il a fait bruit avant cet âge-là; il défendit encore sa cause à Rome l'an 1079. c'est-à-dire selon notre calcul à l'âge de soixante et quatorze ans, ce qui est directement opposé à ce que Guillaume de Malmesbourg dit, qu'après le premier feu de la jeunesse, il se repentit dans un âge plus mûr. D'ailleurs il paroit par une lettre de Lanfranc à Reginald abbé de St. Cyprien de Poitiers, écrite vraisemblablement l'an 1087 ou 1088. c'est-à-dire l'an de la mort de Berenger, ou un an auparavant, que la conversion, dont parle l'historien anglais, est une conversion imaginaire, puisque dans cette lettre Lanfranc l'apelle schismatique et dit, qu'il croit et enseigne de J. C. des choses méchantes ect. ect." cf. Basnage p. 1398. Quelques-uns s'imaginent que Berenger avoit abjuré de bonne foi, et qu'il mourut dans le sein de l'Église Romaine parce que Guillaume de Malmesbourg assure que Berenger après avoir déshonoré le feu de la jeunesse par la défense de quelques hérésies, se repentit dans un âge plus mûr: et même on lui fait dire en mourant le jour de l'Epiphanie, ne

se souvenant de ce grand nombre de personnes qu'il avoit gâtées dans sa jeunesse et dans la première chaleur de l'âge; J. Christ paroîtra pour moi dans sa gloire comme je l'espére, à cause de ma repentance: ou bien je crains que ce ne soit pour me punir à cause des autres. J'ajouteroi à cela le témoignage de Clarius, dont on se sert quelquefois pour prouver le contraire. Ce Moine qui écrivoit à-peu-prés dans le même tems que Berenger, dit que ce docteur de Tours, Philosophe admirable a fleuri l'an 1083. qu'il avoit composé l'Oraison, qui commence, O J. Christ juste Juge; il a fini ses jours fidèle et vraiment Catholique et on lit sur son tombeau ces vers, qui sont ceux d'Hildebert Évêque du Mans. On auroit quelque lieu de conclure par ces deux témoignages, que Berenger est rentré dans les opinions de l'Église Romaine avant que de mourir, mais en approfondissant le fait on trouvera le contraire. I. Guillaume de Malmesbourg qui le premier a parlé de cette pénitence sincère de Berenger est démenti par Lanfranc, qui dit au contraire, qu'il n'avoit abjuré que par la crainte de la mort. L'Historien Anglois avance évidemment une fausseté, lorsqu'il dit que Berenger se repentit dans un âge plus mûr puisqu'à l'âge de 80 ans il soutenoit encore son sentiment avec la même chaleur qu'il avoit eue dans sa jeunesse: et si Guillaume de Malmesbourg a pris son abjuration faite sous Nicolas II. pour une conversion sincère, il s'est évidemment trompé, puisqu'on ne la lui arracha que par la crainte de la mort, et qu'il avoit signé. L'autorité de Guillaume sur ce fait est d'autant moins considérable que c'étoit un Historien étranger, qui aimoit les contes et qui en a imposé à Berenger lorsqu'il dit que Fulbert de Chartres étant au lit de la mort, le distingua dans la foule de ceux qui étoient présens dans sa chambre et le désigna comme un Démon qui infectoit plusieurs personnes de sa bouche et de sa main. Il suffit de lire la lettre d'Adelmann, compagnon des études de Berenger sous Fulbert, pour reconnoître la calomnie de Guillaume de Malmesbourg et pour voir que Berenger ne pensoit point encore à crier contre la transsubstantiation lorsque leur commun maître mourut. II. Le témoignage de Clarius paroît beaucoup plus fort que celui de l'Historien Anglois. Il est vrai que ce Moine ne parle point de la pénitence de Berenger; mais il assure qu'il est mort fidèle et Catholique. Mourir fidèle et Catholique dans le style d'un Moine, c'est défendre jusqu'au dernier soupir les sentimens de l'Église Romaine; mais il n'est pas impossible que ce Moine ait été trompé par les vers d'Hildebert. En effet il ne parle de la foi de Berenger que sur celle de l'épitaphe qu'il avoit fait graver sur son tombeau, le Moine a pu croire sans autre examen que Berenger étoit Catholique et fidèle. D'ailleurs il connoissoit si peu Berenger qu'il le fait mourir dès l'an 1083. c'est-à-dire cinq ans plutôt qu'il ne falloit.

Si on veut examiner la chose de plus près, on trouvera que malgré la foiblesse que Berenger témoigna dans deux Conciles, il ne laissa pas de persévérer dans ses premiers sentimens jusqu'à la mort. I. On ne sait pas distinctement le tems auquel Berenger réfuta la Confession de foi que le Pape Nicolas II lui avoit fait signer; mais au moins Lanfranc qui répondit à cet Ouvrage de Berenger, composa sa Réponse après le Concile de Rome tenu par Grégoire VII. l'an 1079. Il traita dans cette Réponse Berenger de schismatique et le réfuta comme un homme qui, malgré les condamnations portées contre lui, persévéroit dans son ancienne doctrine. Il est donc incontestable que Berenger combattoit encore la présence réelle après l'an 1079. Le concile tenu cette année 1079 à Rome est le dernier où l'on ait forcé Berenger d'abjurer sa Foi. Berenger persévéroit donc encore dans la doctrine, et l'enseignoit

publiquement après toutes les abjurations qu'on lui avoit arrachées. Cette preuve souffriroit quand elle seroit seule. Mais II. il falloit que Berenger n'eût pas caché long tems ses sentimens puis qu'il etoit à peine revenu de Rome qu'on l'obligeat de rendre compte de sa Foi dans un Concile assemblé à Bordeaux l'an 1088. III. Un Anonyme que le P. Chiflet a publié, et qui écrivoit l'an 1088 son Traité Des condamnations de Berenger, le traitoit encore d'Heresiarque: et s'il etoit heretique l'an 1088. il le fut jusqu'à la mort, puis qu'il finit sa vie la même année, qu'on lui donnoit ce titre. IV. Ce fut aussi aparemment la même année 1088. que Lanfranc adressa sa lettre à Reginald Abbé de St. Cyprien de Poitiers, dans laquelle il regardoit encore Berenger comme un schismatique engagés dans diverses erreurs sur J. Christ. Si Berenger étoit encore schismatique et dans l'erreur l'année de sa mort, la penitence, qu'on lui attribuë, est imaginaire. Toutes ces preuves sont positives, et font voir incentestablement que Berenger n'abondanna jamais de bonne foi ses sentimens de l'Eucharistie. Hospin. p. 343.

§. 22.

Reliquum est, ut Berengarii ipsius verba ea, ex quibus illius vera sententia cognosci posse videatur, quemadmodum supra dixi, afferam.

„Panis et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem sunt sacramenta. Item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum corpus Christi et sanguis. Utrumlibet horum concesseris, panem superesse post consecrationem in mensa dominica, omni procul ambiguo concessisti, multumque a se ipso dissidet, qui dicit, panem in altari materialiter absumi, et nihilominus enuntiat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum Christi corpus et sanguis, verumque irrevincibiliter manet, omne, quod est, aliud esse in eo, quod est, aliud in eo, quod aliquid est, nec posse quippiam aliquid esse, cui contingat, ipsum non esse.[a]) — Sicut, qui dicit: Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, Christum esse animo constituit, ita, qui dicit, panis altaris solummodo est corpus Christi, panem in altari esse non negat, panem et vinum esse confirmat in mensa dominica.[b]) — Sicut qui dicit: Christus est lapis angularis: non revera Christum lapidèm esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se invicem gerunt, tale nomen ei imponit, eodem modo, cum divina pagina corpus domini panem vocat, sacrata et mystica locutione id agit.[c]) — Dicitur in scripturis panis altaris de pane fieri corpus Christi, sicut servus malus dicitur fieri de malo servo bonus filius, non quia amiserit animae propriae naturam aut corporis, unde B. Ambrosius in libro de sacramentis, inductionem faciens ad

conversionem panis et vini in carnem et sanguinem Christi, de conversione mali servi in filium Dei, denique inquit tu eras, sed eras vetus creatura; postquam consecratus es, nova creatura esse coepisti. Eusebius Emisenus de eodem, te ipsum, inquit, interroga; a salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subito initiatus Christi legibus, de filio perditionis adoptivus Dei fieri meruisti, ac sic homo Christi filius effectus est et Christus in hominis mente formatus.[d]) — Sicut Ambrosius scripsit: de pane fit caro Christi: ita in sequentibus de malo, inquit, servo factus est bonus filius; et sicut ibi putandum non est, absumpta esse per corruptionem subjecti corpus vel animam servi, qui factus est filius, ita nec hic putandum est, deperiisse panem per subjecti corruptionem. Non dissimile illud est, quod totiens dicitur: de Saulo factus est Paulus, quod revera nonnisi manente subjecto tam animae quam corporis fieri potuit.[e]) — Quodsi constituas, vivente Tullio atque Catilina, de contemporalibus dicere aliquem verbi gratia: Laelius est facundia Tullius, Cethegus improbitate Catilina, etiam sic Laelium esse constabit atque Cethegum, nec tantum Laelium, sed sicut constabit, Laelium Laelium esse persona, ita constabit etiam, ipsum Laelium esse Ciceronem non persona, sed facundia, si verum est, Laelium, qui erat, se de infacundia studio mutavisse in facundiam.[f]) — Per miraculum dicis ista fieri, admirationi deberi; verius dixisses, ad injuriam et contemptum Dei, vel ut verba ponam B. Augustini, per flagitium vel facinus ista fieri, nec admirationi deberi nisi ad contemptum admirationem accipias. — Si enim ad gloriam Dei pertinet, quod dicit apostolus: mors illi ultra non dominabitur, quod dicit, etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus; et beatus Ambrosius: Christus jam vulnus sentire non potest, ad contemptum vel injuriam Dei valere necesse est, quod tu erras, veritatem Deum a fidelibus suis exigere, ut mentiantur, portiunculam carnis, quae nunquam ante celebrationem mensae dominicae exstiterit, in celebratione mensae dominicae tunc primum exsistere coeperit, esse de Christi corpore, cujus nulla omnino pars negari possit, per mille et amplius retro annos exstitisse. — Vere dicitur angelum lucis se transfigurare, quia dixisti, quasi non contra veritatem, per miracula ista fieri: da de propheta, de apostolo, de evangelista locum aliquem, unde manifestissimum sit, ita debere sentiri de sacrificio populi Christiani, ut non in eo sibi constet subjectum panis, fac manifestum, verba ista tua, non

remanere panem et vinum in pristinis essentiis, et si panem videat, qui communicat mensae dominicae, non tamen, quod panem sensualem videat, sibi fidem debere habere, miraculo id attribuendum esse: et ratum habeatur, quidquid tibi videbitur contra veritatem afferre.[g]) — Hoc si omni ratione probamus, i. e. non posse vulnerari carnem Christi, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, quod de carne accipiamus necesse est, — omni necessitate adstringimur probare, non manibus frangi, non dentibus atteri carnem Christi, cui in sepulcro positae datum est, non sentire corruptionem. Multo magis a morte in impassibilitatem restituta et in immortalitatem, nullam fractionem, nullam sectionem, nullam attritionem, nullam admittit vel pro parte vel pro toto auctore apostolo Paulo corruptionem.[h]) — Relinquitur ergo, ut dictum est, quantum ad vecordiam ejus, qui ita opinetur, adesse in altari sensualiter totum Christi corpus, nullum eorum, qui eodem tempore mensam dominicam celebrant, nisi unum sacerdotem offerre Christi sacrificium, quia, quod diversis in locis eodem momento sensualiter adsit corpus, corpus non esse constabit; constabit nihilominus eum qui opinetur, Christi corpus coelo devocatum adesse sensualiter in altari, ipsum se dejicere, quod vecordium est, dum confirmat, se manu frangere, dente atterere Christi corpus, quod tamen ipsum negare non possit impassibile esse et incorruptibile. Constabit etiam eum, qui ita opinetur, Christum, qui veritas est, falsitatis arguere, dum simulat, panem et vinum post consecrationem esse in altari, cum non sit in eo, nisi ipsius sensualiter corpus. Porro quod tu partem carnis Christi opinaris adesse sensualiter in altari, ut omittam cetera inconvenientia, contradicis partim tibi ipsi, scribis enim fieri in altari portiunculam carnis per generationem subjecti, sicut factus est serpens, qui nunquam fuerat, de virga Moysi, cum non neges, quidquid in corpore Christi est, per mille annos incorruptibiliter exsistere; unde affirmare non possis, carnem nunc primum factam Christi carnem esse, partim fidei, qua catholici omnes impassibile jam et insecabile esse asserunt corpus Christi, unde apostolus dixit: etsi noveramus Christum secundum sanguinem, sed jam non novimus. — Postremum insisto, quod insistere potui primum, infiniti est stuporis, quod inducere duas Christi carnes esse non dubitas; hoc autem facis, dum scribis, carnem Christi nunc primum factam per generationem subjecti, sacramentum carnis esse Christi ante mille et amplius annos exsi-

stentis; pro eo etiam duas, quod tu ipse Christi carnem, quam confingis sacramentum esse, invisibilem, intelligibilem, spiritualem esse non dubitas vecorditer affirmare, corpus autem Christi, quod in coelo est, cujus corporis hanc, quam adesse scribis sensualiter in altari, sacramentum esse confingis, non negas esse visibile atque palpabile; in qua re tu tibi suffugium facis et dicis, tolerabile esse, quod carnem Christi sacramentum esse dicas, quia Christus non inconvenienter sacramentum Christi esse dicatur.[i]) — Vecordia tua in eo est, ut subjectum panis per consecrationem absumptum esse desierit, nec operatoria est etiam Dei ipsa omnipotentia, ut sit vel secundum subjectum suum, vel secundum quod in subjecto eo erat, quod revera jam non sit, sicut nec operatoria erat, ut essent, quamdiu nondum erant, quae nondum esse inceperant; non enim vel multo magis, vel multo minus, sed indifferenter omnino et non sunt, quae nondum esse coeperunt, et non sunt, quae jam esse desierunt; multo autem magis est praesto naturae humanae attendere facilius esse, facere aliquid de aliquo, quam facere aliquid de nihilo, atque eo dicendi genere accipiendum est, quod dicit Ambrosius: multo magis operatorius est, quantum enim ad Deum indifferenter se habet, et facere aliquid de aliquo et facere aliquid de nihilo.[k]) — Sicut propositus tibi est Christi domini sanguis, sed non sensualiter, ut laveris, ita propositus est, sed non sensualiter, etiam ut poteris; haec si dominus tuus secundum exteriorem hominem facienda tibi sensualiter institueret, primo et capitaliter secundum intellectualitatis dignitatem merito exhorreres, sed nihil tibi propositum est, quod jure esse possit horrori. — Exigit, ut ipsum eundem Christi sanguinem semper in memoria habens, in eo, quasi in viatico ad conficiendum vitae hujus iter, interioris tui vitam constituas, sicut exterioris tui vitam in exterioribus constituis cibis et potibus.[l]) — Exigit etiam ut intus credens, quod sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret propiciationem pro peccatis, etiam exterius in hoc elementum aquae immergaris, et ita tibi Christi mortem effigies per elementum aquae, per rem exteriorem, dum in eam quasi occidendus immergaris, dum de ea quasi vivificandus extraharis (ejusmodi enim Christi mors fuit, ut secundum corpus moriens, secundum animam, secundum deitatem immunis maneret a morte) exigit, ut per comestionem et bibitionem corporalem, quae fit per res exteriores, per panem et vinum, commonefacias te spiritualis comestionis et bibitionis, quae fit in mente de

Christi carne et sanguine, dum te reficis in interiore tuo incarnatione verbi et passione, ut secundum humilitatem, per quam verbum caro factum est, et secundum patientiam, per quam sanguinem fudit, interioris tui vitam instituas, quanta debes, humilitate, quanta debes, emineas patientia, ut in iis tibi adquiescas, in iis tibi adgaudeas, sicut in exteriore tuo in cibis tibi et potibus adquiescis.[m]) — Non est, quo fractum referas, si panem sustuleris; quando enim hoc in coena dominus fecit et dixit, corpus ipsius adhuc integrum et inattaminatum mansit, nec in eo, quod sequitur: edite ex hoc omnes, pronomen hoc ab eo nomine, cui fractum adjacebit, poterit separari: et ne illud, item aliud hoc, ubi dicitur: hoc est corpus meum, pervertere laborares, similiter occurrit B. Ambrosius dicens: quod pro multis confringetur, quasi te ad rem violenter urgeret et diceret: hoc i. e. haec res, i. e. hic panis, quod i. e. quae res, i. e. qui panis modo fractus pro paucis, pro vobis duodecim confringetur, pro multis, pro fidelibus totius mundi, est corpus meum; habes in evangelio, quod pro vobis tradetur, habes ibi, quod pro multis confringetur.[n]) — Quod scripsit B. Ambrosius: vera caro est, quam accepimus, verus est sanguis, quo potamur, non debere accipi opinatur Lanfrancus, nisi ad corporalem per dentes et os comestionem et bibitionem, quasi non sit assolens in communi sermone, assolentissimum in scripturis, audiri incorporalem animae comestionem atque bibitionem, unde Christus ipse: qui manducat me, etiam ipse vivit propter me. Certum est autem, quando haec dicebat, nihil eum de sacramentis altaris constituisse, et illud: Ego cibum habeo manducare, quem vos non noscitis, ubi refectionem suam sine dubio conversionem Samaritanae et populi ejus accipi voluit cibi nomine, quae profecto corde manducatur ect.[o]) — — Ita videri in altari oculis corporis post consecrationem panis subjectum sensuale et vini, non videri autem, quae in coelo reposita sunt, corpus et sanguinem Christi, quia, si ante tempora restitutionis omnium Christi carnem, non dicam, oculis corporis videri, sed in terris alicubi esse constituis, contra prophetam David, contra apostolum Petrum, contra coapostolum ejus Paulum, contra Scripturas authenticas omnes facis. Constituis autem, non alicubi, sed ubicunque coelo devocatam ante tempora restitutionis omnium Christi carnem adesse, qui nihil accipere fideles aliud confirmas ab altari, nisi carnem sensualiter et sanguinem Christi, quod ita est contra rationes fidei, ut nullus fidelium cogitare debeat se ad refectionem animae suae accipere,

nisi totam et integram domini Dei sui carnem, non autem coelo devocatam, sed in coelo manentem, quod ore corporis fieri, ratio nulla permittit.[p]) — Homo de duabus substantiis constat, anima et corpore, superiori et inferiori. Superior reficitur Christi corpore ad vitam aeternam, pane interiore, pane spirituali, inferior ad temporalem pane sensuali, qui tamen post consecrationem est corpus Christi, et in eo valet etiam ad vitam aeternam fideli.[q])

Locos attuli ex editione Vischerorum:
a) p. 70. — b) p. 75. — c) p. 76. — d) p. 90. — e) p. 208. — f) p. 214. — g) p. 96. — h) p. 118. — i) p. 199. — k) p. 212. — l) p. 222. — m) p. 223. — n) p. 232. — o) p. 236. — p) p. 157. — q) p. 120.

§. 23.

Quos locos etsi diu multumque reputavi, totumque librum diligenter perlegi, tamen facere non possum, quin, et a Lessingio et Staeudlino dissentiens, num a Berengario substantialis domini praesentia tradita sit, dubitem. Magna quidem mentis acie argumenta afferuntur, adversarii refelluntur, multa etiam recte proponuntur, sed non pauca, quae contendit de hoc μυστηρίῳ sanctissimo, a communi sensu repetuntur, neque ab ea disserendi subtilitate, quae verae fidei Christianae nitatur fundamento. Itaque ni vehementer erro, veram illius sententiam (quam fortasse eloqui horruit) si cognoscere cupimus, domini memoriae Eucharistia renovandae, plurimum eum tribuisse (V. p. 223), elementa autem fideli, qui ea acciperet, illius quasi imaginem quandam repraesentare, docuisse concedendum est, ita ut inter Calvinum et Zwinglium quasi medius interpositus, in hujus tamen magis inclinasse videretur sententiam.

§. 24.

Praeter Berengarium vero multi cum ecclesiae dogmata probari non posse perspicerent, partes sequebantur haereticorum. Qui quidem etsi de rebus nonnullis rectius sentiebant, quam ecclesiae principes, tamen de multis praecipue de Eucharistia, doctrinam tradebant omnino perversam. Quam, cum in ejus auctores eadem philosophia pantheistica, qua Amalrich de Bena, David de Dinanto animos imbuerant, vim haberet vel maximam, inter omnes fuisse ap-

paret similem. Etenim si ecclesia catholica externis elementis fruendis plurimum tribuebat, ea haeretici tantopere contemnebant, ut prorsus éa abolenda esse censerent. Quae cum ita sint, quoniam praecepta eorum universa si exponere studerem, operis fines egredi viderer, quae de sanctae Eucharistiae doctrina commemoranda essent, fieri non potuit, quin invenirentur perpauca. —

Quem primum haereticorum nominandum duco, est Petrus de Bruis[a]) (1104—24.), qui non solum veritatem corporis et sanguinis Domini quotidie per sacramentum in ecclesia offerendam negavit, „sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere" decrevit. Henricus[b]) vero (1116—1148) ejus discipulus, fere eadem, quae ille tradidit, in plurimas autem, cum Galliae et Helvetiae regiones perlustraret, incidit calamitates. Nam cum admirabili, qua excellebat, eloquentia plebis animum, quemadmodum volebat, commoveret, ut nullum jam alium sacerdotem audiret, quique adhortari audebant, aspernaretur: a papa Eugenio III.[c]) per Albericum cardinalem et sanctum Bernardum captus et episcopo Tolosano custodiendus traditus est. Ejus vero, qui ad suum arbitrium voluntatemque mortalium animos accommodare potuit, erroribus plurimis illorum, qui in eadem regione habitantes Cathari[d]) vocabantur, effloruisse doctrinae similitudinem manifestum est. Cathari enim, qui ab iis, qui primis ecclesiae Christianae temporibus Manichaei nominati sunt, originem duxisse videntur, per universam mediam aetatem potissimum in Gallia Narbonnensi et Italia superiore in tantum numerum creverant, ut ecclesiae catholicae leges negligere possent. Sic factum est, ut et errores atque ritus perversos, qui sensim in ecclesia increbruerant, ingenue vituperarent, et ipsi suis libidinibus indulgentes, doctrinam falsam religionique Christianae traderent contrariam. De qua universa ut fusius dissererem, cum mihi minime propositum sit, ea tantum proponenda censeo, quae de Eucharistia judicaverunt. Quam Catharos omnino repudiavisse, cum ab omnibus fere haereticis rejiceretur, jam per se verisimillimum est, et testimoniis, quae ediderunt testes locupletissimi, potest confirmari. Sic enim legitur in Heriberti monachi Epistola: „Surrexerunt in Petragoricensi regione quam plurimi haeretici, qui se dicunt apostolicam vitam ducere ect. — —; missam pro nihilo ducunt, neque communionem percipi debere dicunt, sed fragmentum panis." Tum in decreto concilii Tolosani A. 1119 can. III. legitur: „Porro eos, qui religionis speciem

simulantes, dominici corporis et sanguinis sacramentum, puerorum baptisma damnant, tanquam haereticos ab ecclesia pellimus et damnamus et per potestates exteras coërceri praecipimus.“ Similiter in decretis conciliorum Lateranensis II. 1139. can. XXIII. Turonensis 1163 can. IV. Lambertani 1165. Lateranensis III. 1179.[e]) Sed et haec concilia frustra cogebantur et qui a rege Galliae et a papa ad delendam sectam missus erat, Petrus de Chrysogonus[f]) 1178, cardinalis et legatus, quod volebat, minime perficere poterat. — Sed non solum in Gallia, sed etiam in Italia[g]) ejusdem doctrinae perversitati jacta sunt semina. Eorum vero, in quorum animis ea processerant, diversos quasi ordines fuisse tradit Rainerius Sachoni, Albanenses, Concorezenses, Bagnolenses. Bagnolenses, quatuor sacramenta esse docere, Concorezenses baptismum fieri manibus in hominum capitibus ponendis, Albanenses vero nihil manu confici posse, quippe quae a diabolo creata sit, sed oratione dominica, secundum consecrationem panis, quae quotidie inter edendum oratione dominica et formula: gratia Domini Christi nobiscum, efficiatur. De quo ritu judicaverunt, corporalem panem non posse consecrari, cum sit a diabolo creatus. — Cujus quidem doctrinae etiam in Germaniae multis provinciis exstiterunt auctores; quin adeo in regione Trevirensi, potissimum vero prope Coloniam Agrippinam tantopere auctus est eorum numerus, ut Everinus praepositus Steinfeldensis epistola ad sanctum Bernardum auxilium peteret. „In sacramentis suis, inquit, velo se tegunt; tamen nobis aperte confessi sunt, quod in mensa sua quotidie, cum manducant, ad formam Christi et apostolorum cibum suum et potum in corpus Christi et sanguinem per dominicam orationem consecrant, ut inde se membra et corpus Christi nutriant. Nos vero dicunt in sacramentis non tenere veritatem, sed quandam umbram et hominum traditionem. Cf. Eckberti sermones tredecim adversus Catharorum errores. Serm XI: Ab uno viro qui de angulis vestris exierat, unam talem vestram sapientiam audivi. Corpus vestrum domini est et corpus domini facitis, quando panem vestrum benedicitis atque ex eo corpus vestrum efficitis. Hunc sermonem dolose significatis, quando inquiretur a vobis, utrum vere fidem habeatis de corpore Domini et respondetis inquirentibus, bonam vos de corpore fidem habere. Cf. Sermo I. Similiter atque Cathari, ii, qui se fratres et sorores spiritus liberi[h]) vocaverunt, de sacramento

altaris docuerunt. Nam cum doctrinam omnino pantheisticam traderent, ut J. Christi vita nulla alia esse videretur, quam singulorum hominum, facere non potuerunt, quin pessimos de Eucharistia errores eloquerentur. In decreto Joannis episcopi Argentorati inter ea, quae tradant, contra ecclesiae dogmata, haec referuntur: „Quod quilibet homo perfectus sit Christus per naturam. Quilibet laicus bonus possit conficere corpus Christi, sicut sacerdos peccator, quod corpus Christi aequaliter sit in quolibet pane, sicut in pane sacramentali ect.“

a) Cf. Fuesslin: Geschichte der Ketzereien im Mittelalter. Bossuet histoire des variations ect. II. p. 90. Basnage hist. de l'Églis. p. 1417. Larroque histoire de l'Eucharistie p. 452. Schroeckh: Christl. Kirchengesch. Tom. XXIV. p. 515. De Petro de Bruis exstat Petri venerabilis abbatis Cluniacensis ad Arelatensem, Ebredunensem Archiepiscopos, Diensem, Wapicensem episcopos epistola. Cf. Gieseler l. l. II. 2. p. 440. 41. 42. praeterea Fuesslin l. l. I. p. 204. „Haeresis haec vestra Berengarianis commentis non contenta est, quae veritatem quidem corporis Christi, sed non sacramentum vel speciem vel figuram negabat. Deterius Berengarianis haereticis sentitis, non tantum veritatem corporis et sangunis, Christi, sed et sacramentum, speciem et figuram negatis.“ Fuesslinus quidem putat, non omnino rejecisse Petrum sacramentum altaris, sed transsubstantiationis doctrinam (loquendi formulam: Christi corpus conficere, significare: panem in Christi corpus convertere), sacramentum vero ipsum ob nullam aliam causam accipiendum esse tradidisse nisi ut fideles memores essent Christi meritorum, sed propter argumentorum inopiam de ea re non certum judicium fieri duco; quam ob rem Petri sententiam proposuisse satis habeo.

b) Cf. Fuesslin l. l. I. p. 214. sq. Larroque l. l. p. 452. Histoire générale de Langued'oc II. p. 422—47. Schroeckh l. l. XXIX. p. 517. Basnage Histoire de la réligion des églises Reformées p. 141—46. Natalis Alex. Hist. Eccl. V. et N. T. Tom. VII. p. 76.

c) Acta episcop. Cenomanensium cp. 35. de Hildeberto episcopo: Mabillonii vetera analecta Tom. III. p. 312. V. Fueslin I. p. 223.

d) Fontes, ex quibus Catharorum universa doctrina hauriri potest, sunt: I. Bonacorsi: Vita haereticorum sive manifestatio haeresis Catharorum in D'Achery spicilegium Tom. I. p. 208. II. Rainerius Sachoni: Summa de Catharis v. Argentré Collectio judiciorum de novis erroribus Tom. I. p. 48. III. Monitae libri V. adv. Catharos et Waldenses. De Catharorum nomine cf. Fuesslin l. l. I. p. 30. Schroeckh XXXIX p. 477. Fleury: histoire ecclésiastique Tom. XV. p. 20. Catharis simillimos fuisse puto eos, qui Albigenses nominantur (ita ut a Waldensibus vel maxime differre censeam) quos Bossuet: Histoire des variations lib. XI. p. 70. omnino Manichaeos fuisse, Basnage autem l. l. p. 1407. Christianam doctrinam veram servasse opinantur. Cf. Mosheim: Institt. eccl. p. 551. Histoire générale de Langued'oc III. p. 553. n. 13.

e) Cf. praeterea, quae Matthies: Baptismatis Expositio biblica historica dogmatica Berolini 1831. p. 270. not. 106. attulit: „Gesta Synodi Aurelianensis an. 1017 (in Luc. d'Achery Spicileg. Tom. I. p. 604 sqq. ap. Mansi Tom. XIX. p. 376 sqq.) certiores nos faciunt, istos

Manichaeos docuisse: „Christum de Virgine non esse natum, neque pro hominibus passum, neque vere in sepulcro positum nec a mortuis resurrexisse, in baptismo nullam esse scelerum ablutionem, neque sacramentum corporis et sanguinis Christi in consecratione sacerdotis. Sanctos martyres atque corfessores implorare pro nihilo ducunt.

f) Schroeckh Tom. XXIX. p. 508. Histoire générale de Langued'oc Tom. III. p. 46. et 47.

g) De Italiae Haereticis cf: Raumer: Geschichte der Hohenstaufen. Tom. VI. p. 300.

h) Cf. Mosheim Institt. Hist. eccl. p. 482. 551. Schroeckh XXIX. p. 658. 667. Fuesslin l. l. I. p. 475.

B. ECCLESIA GRAECA.

§. 25.

Ecclesiam Graecam, ad cuius qui de Eucharistia orti sunt, errores commemorandos transeamus, si Latinae contulerimus, non tam longe ab ejus vera notione cognoscenda aberrasse, quam illam, nobis erit profitendum. In universum enim veterum ejus ecclesiae doctorum vel maxime illustrium in praesentiam quandam substantialem, ita ut ὁ θεῖος λόγος cum sacrae coenae elementis conjunctus esse putaretur, inclinabant sententiae. Quae quidem etsi sensim abolebantur, et ea aetate, qua coli coeptae sunt imagines, multis commentis locum cedebant, tamen in judiciorum rationem vim habebant vel maximam, ut foedae illae superstitiones, quibus magistri ecclesiae Latinae ingenti ipsorum principiorum constantia imbuebantur, effugerentur. Attamen earum nonnullae ut animorum aciem quasi caligine praestringerent, quemadmodum apud Latinos paparum, sic apud Graecos imperatorum effecit auctoritas; sed ii non eandem omnes viam secuti, quae, qui antea imperaverant, sanxerant, ea minime repetiverunt, potius contrariam iis tulerunt sententiam. Neque enim ut papae, qui id maxima data opera contenderunt, ne in errorum suspicionem incurrerent, opinionum suarum diversitas quominus aperiretur, impedire debuerunt, sed illud periculum non subeuntes, decernere alii aliter non horruerunt. Itaque cum non ad eandem normam voluntatemque omnes se accomodarent, haud raro ipsis imperatorum decretis, quae antea sancita erant, abolita et superstitionum commenta, quae hominum animos impleverant, in aliquod tempus sunt deleta. Ex quibus quidem ea, quae nihil differant ab ecclesiae Latinae erroribus, velut sacrificium missae non iterum afferenda, sed illa uberius exponenda esse censeo, quae Graeca ecclesia putanda sint propria (transsubstantiationis vero doctrinam ob eam causam denuo commemorabo, quia non omnino eadem est, quae Latina), inter quae habetur:

I. MISSA PRAESANCTIFICATORUM.

I. ORIGO EJUS ERRORIS.

§. 26.

Fere una cum sacrificii missae errore missam praesanctificatorum esse institutam, ex conciliorum sec. V. et VI. coactorum canonibus, quos infra afferemus, intelligitur. Apostolorum autem aetate celebrari eam solitam esse, si quis, velut Leo Allatius contendere audet, ei, qui in talibus sententiis dijudicandis artem criticam theologorum Protestantium propriam adhibere solet, non tam admirationem facere, quam risum excitare debet. Certissimum quidem est, paulo ante id tempus, quo sacrificium missae apud Latinos auctoritate ecclesiastica sancitum esse, supra ostenderimus, quoque in jejuniis servandis adhibita sit religio, sacerdotes Graecorum, qui intra magna jejunia praeter diem dominicam missas habendas esse negarent, omnibus diebus dominicis, ne inertes esse viderentur, tantum panis consecravisse, quantum sufficeret ad sequentis hebdomadis fideles communicantes satiandos, et calicem, in quem infuso vino panem intingerent, velo tectum in altari posuisse. Quam ob rem omnibus quidem hebdomadis diebus sanctam Eucharistiam distribuebant, sed neque vinum, neque panem (Graeci enim utramque speciem semper retinebant) iterum consecrabant. Dicitur vero missa *προηγιασμένων* = praesanctificatorum, quod elementa sanctae Eucharistiae, quae earum hebdomadum, quibus magna jejunia servabantur, singulis diebus fidelibus danda erant, jam die dominica consecrata fu e r a n t. (Sic enim legitur apud Leonem Allatium:[a]) *Καὶ εἰς τὸν ἑσπερινὸν λέγεται ἡ λειτουργία τῶν προηγιασμένων. — Τῇ τετάρτῃ τῆς πρώτης ἑβδομάδος μετὰ τὴν ἐννάτην ὥραν φιλοκαλεῖται ὁ ναὸς καὶ γίνεται λειτουργία τῶν προηγιασμένων. — εἶτα ἐκτενὴ, καὶ ἡ λοιπὴ ἀκολουθία τῶν προηγιασμένων. — τῇ πέμπτῃ τῆς πρώτης ἑβδομάδος μετὰ τὴν λειτουργίαν τῶν προηγιασμένων ἐσθίομεν ἄρτον, καὶ φάβα βρεκτὸν, καὶ ὕδωρ, καὶ οὐδέν τι ἄλλο — μετὰ δὲ τὴν λειτουργίαν τῶν προηγιασμένων κρούει τὸ κροῦσμα καὶ εἰςερχόμεθα εἰς τὴν τράπεζαν*). Origo igitur repetenda est a sententia Graecorum, qui intra magna jejunia nullas missas praeter diem dominicam habendas esse duxerunt. Id quod ob eam causam

legibus vetitum est, quod missis habendis jejunia non diligenter servari viderentur. Nicetas enim Pectoratus[b]) Laodiceni canonis III auctoritate confisus: Ἀλλὰ καὶ περὶ τὸ ἀναφορὰν, inquit, τελείαν καθεκάστην λειτουργίαν ποιεῖν ἐν ταῖς ἁγίαις ἡμέραις τῶν νηστειῶν πλὴν σαββάτου, καὶ κυριακῆς πόθεν ἐνετυπώθε(η)τε, ἀπὸ τῶν ἀποστόλων; οὐδαμῶς. Οἱ μὲν γὰρ ἀπόστολοι περὶ τούτου κανόνα ἐξέθεντο οὕτως εἰπόντες, εἴ τις οὐ νηστεύει τετράδα, καὶ τὴν ἁγίαν τετταρακοστὴν, καὶ τὰ ἑξῆς· τελουμένης οὖν τῆς τελείας λειτουργίας κατὰ τὴν τρίτην ὥραν τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ καὶ νενομοθέτηται ἀναφέρεσθαι τὴν θυσίαν, πῶς τὴν νηστείαν ἕως ἐννάτης φυλάξητε λύοντες αὐτὴν ἐν τῷ καιρῷ τῆς λειτουργίας; οὐδαμῶς · εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, ἐκκλησιαστικῷ κανόνι ὑποπίπτετε· οἱ γὰρ ἐν Γάγγρᾳ πατέρες ἐν τῷ ιθ'. κεφαλαίῳ τάδε φασίν· εἴ τις τῶν ἀσκουμένων χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλαττομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραλύει, ἀποκυροῦντος ἐν αὐτῷ οἰκείου λογισμοῦ, ἀνάθεμα ἔστω. Οἱ δὲ ἐν Λαοδικείᾳ πατέρες κατὰ τὸν νά· κανόνα οὕτω φασίν· ὅτι οὐ δεῖ ἐν τῇ παρασκευῇ μαρτύρων γενέθλια ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνείαν ποιεῖν ἐν τοῖς σαββάτοις, καὶ κυριακαῖς καὶ ἐν τῷ αὐτῶν μθ'. κανόνι οἱ αὐτοὶ, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τῇ τετταρακοστῇ ἄρτον προςφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον· καὶ οἱ ἐν τῇ ἕκτῃ Συνόδῳ ἐν τῷ νβ'. κανόνι νενομοθέτηται, ὄντος ἐκεῖσε Ἀγάθωνος πάπα Ῥώμης, ἐν πάσαις ταῖς ἁγίας τοῦ Ἐυαγγελισμοῦ ἡμέρας γενέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων λειτουργία.

a) V. Leonis Allatii De ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione Libri III. Col. Agrip. MDCXXXXVIII. p. 1559.
b) ibidem p. 1546.

II. NATURA EJUS ERRORIS.

§. 27.

Ejus vero erroris ut natura perspiciatur, primum afferam conciliorum, quibus sancitus sit, canones, deinde caerimonias diversas rituumque varietatem, et, quae iis subjiciendae sint, notiones evolvere conabor. Legitur autem Concilii Trullani canone LII.:[a])

Ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμεραῖς παρεκτὸς Σαββάτου καὶ κυριακῆς καὶ τοῦ ἐυαγγελισμοῦ ἡμέρας γενέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία. Ad quem Joannes Zonaras haec annotavit:

Δια τοῦτο ἐν μεν ταῖς ἄλλαις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις ἡ τῶν προηγιασμένων γίνεται λειτουργία, οὐ τότε γενομένης τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἀλλὰ τῆς ἤδη προςαχθείσης αὖθις προςαγομένης · κατα δὲ τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς, ἐπεὶ ἐν ταύταις νηστεύειν ἀπαγορεύεται, ἐνδέδοται καὶ θυσίαν προσφέρειν καὶ τελείαν λειτουργεῖν λειτουργίαν.

Et Concilii Laodiceni canone XLIX:[b])

Ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν Σαββάτῳ, καὶ Κυριακῇ μόνον. De quo, id quod Alexius Aristenus ad canonem LVIII annotavit, cf.:[c]) Ὁ κανὼν οὗτος οὐ παροράθη ὅλως, ἀλλὰ φυλάττεται · ἄνευ γὰρ σαββάτου, καὶ κυριακῆς καὶ τῆς ἁγίας εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας ἐν τεσσαρακοστῇ ἄρτος οὐ προσφέρεται, ἀλλὰ προηγιασμένα τελοῦνται. Τὸ δὲ ἐν τῇ τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἑορτῇ μὴ προηγιασμένων τελεῖσθαι λειτουργίαν, ἀλλ' ἄρτον προσφέρειν ὁ νβ' κανὼν τῆς ἐν τῷ τρούλλῳ ἕκτης συνόδου παραδίδωσιν. Διὰ τὸ τὰς ἄλλας ἡμέρας τῆς τεσσαρακοστῆς ταπεινώσεως εἶναι καιρὸν, καὶ ὀφείλειν ἕκαστον τῶν πεπλανημένων, τῶν πεπλημμελημένων τὴν ἐπίγνωσιν φέρειν, καὶ μὴ ἀφέντα τὴν περὶ ταῦτα σπουδὴν πρὸς ἑορτὰς ἀποκλίνειν, καὶ κατὰ τοῦτο στυγνάζειν και πνευματικῆς ἀγαλλιάσεως ἐμπίμπλασθαι παρα καιρόν.

Ritum vero ipsum sic describit Nicetas Michael Patriarchia:[d])

Ἡ δὲ ταύτης μυστικὴ τελεσιουργία ἱεροπρακτεῖται τὸν τρόπον τοῦτον · καθ' ἑκάστην κυριακὴν τῶν ἀφιερωμένων ἡμῖν εἰς νηστείαν ἁγνῶν ἡμερῶν τελοῦνται οἱ προηγιασμένοι ἄρτοι κατὰ τὴν ἱεροπαράδοτον ἀκολουθίαν τε καὶ διδασκαλίαν · ἐκ γοῦν τῶν οὕτω τελειωθέντων ἁγίων ἄρτων ἐπιταμιεύονται ἄρτοι, ὁπόσους ἡ χρεία, καὶ ὁ καιρὸς ἀπαιτεῖ, τέλειοι τε ζωοποιοὶ καὶ ποικίλων χαρίτων θείων μεστοί · οἷς καὶ πιστευομένοις τε οὖσιν αὐτὸ τὸ ζωοποιὸν σῶμα τοῦ κυρίου τε θεοῦ τε σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἐπιχεῖται τὶς ῥανὶς τοῦ θείου αἵματος ἀποτιθεμένοις οὕτως, καὶ τοῦ ἐπιῤῥαντισμοῦ τούτου χωρίς · ἐν δὲ μιᾷ ἑκάστῃ τῶν νηστίμων ἡμέρων, καθ' ἃς τελεία οὐ γίνεται, μετακομίζονται ἀπὸ τοῦ τόπου τῶν προθέσεων εἰς τὴν ἐντὸς ἱσταμένην ἁγίαν τράπεζαν τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, τε οὐδεμία τῶν μυστικῶν, τε τελειοποιῶν εὐχῶν τούτοις ἐπᾴδεται, ἀλλ' ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς μίαν καὶ μόνην εὐχὴν παρακλήσεως περὶ τοῦ γενέσθαι αὐτὸν ἄξιον ὑποδοχέα τῶν προκειμένων, κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τῆς ἁγίας μεταλήψεως, μικρὸν πρὸ τούτου ἐφάπτονται οἱ διάκονοι τῶν

προκειμένων ἁγίων ποτηρίων, καὶ οὐκ ἐπιφωνοῦσιν ὡς ἐν ταῖς τελείαις τὸ · πλήρωσον δέσποτα, ἀλλὰ τὸ εὐλόγησον δέσποτα· καὶ τοῦ ἱερέως λέγοντος, εὐλογητὸς ὁ θεὸς ἡμῶν πάντοτε, ἐμβάλλεται ὁ προαγιασθεὶς, καὶ προτελειωθεὶς ἅγιος ἄρτος εἰς τὸ μυστικὸν ποτήριον, καὶ οὕτως ὁ ἐν τούτῳ οἶνος εἰς ἅγιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ μεταβάλλεται, καὶ πιστεύεται μεταβάλλεσθαι καὶ μετὰ ταῦτα προβαίνει ἡ τῶν ἁγίων μετάληψις.

In missis igitur praesantificatorum, si naturam spectas, a missis perfectis non diversis, sacrae coenae elementa in corpus et sanguinem Domini transformata Christi sacrificium renovare, a Graecis traditum esse, luculentissime apparet. Neque enim ullam aliam ob causam, quam quod jejunia servare deceret, sacerdotum munera, quae alias paullo ante panem et vinum distribuenda obeunda erant, in unam diem dominicam differebant. Nihilo tamen minus Leo Allatius et, qui eum sequitur, Bartoldus Nihusius „in missa praesanctificatorum communicasse sacerdotes sub sola specie panis, et licet biberent, non tamen, quod biberent, fuisse Christi sanguinem, sed merum vinum, sacratum corpore Christi contingendo, aliena specie velato, neque magis inde conversum in sanguinem, quam panis, qui quotidie comederetur, in corpus Christi, vino eucharistico tinctus converteretur," — judicaverunt. Quod judicium etiamsi Leo Allatius, qui ne hunc quidem morem a Latina ecclesia diversum esse contenderit, magna disserendi subtilitate exposuerit, falsum esse, et Heineccius ostendit, et ex loco supra e Nicetae Michaëlis libris allato extremo[e]) (ἐμβάλλεται ὁ προαγιασθεὶς, καὶ προτελειωθεὶς ἅγιος εἰς τὸ μυστικὸν ποτήριον, καὶ οὕτως ὁ ἐν τούτῳ οἶνος εἰς ἅγιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ μεταβάλλεται καὶ πιστεύεται μεταβάλλεθαι, καὶ μετὰ ταῦτα προβαίνει ἡ τῶν ἁγίων μετάληψις) intelligitur. Neque enim ullae precationes in sacra coena comedenda fiebant, sed in sacrum calicem infusis sine ullis precibus vino et aqua (moris enim erat apud Graecos, ut vino aquam commiscerent), ut, „divino pane diviso et superiore particula in illa injecta," consecraretur, sancta Eucharistia eodem modo, quo alias celebrabatur. Itaque nisi missis praesanctificatorum revera sacra elementa transmutata esse putarentur: quod Nicetas ait: καὶ μετὰ ταῦτα προβαίνει ἡ τῶν ἁγίων μετάληψις non de fruenda fidelibus Eucharistia, sed de communi pane intelligendum esset, quod quantopere abhorreat a notione toti loco subjicienda, unus quisque facillime perspiciet. — Sententia igitur Leonis Allatii rejecta, relinquitur, ut

commemoremus. At vero cum minime differat ab ea, quae Latinae ecclesiae sacrificio missae probato illata est, illa, quae §. 5. dixi, hoc loco potius omittenda, quam repetenda esse duco.

a) Leo Allatius p. 1567. cf. Bruns: Canones Apostolorum et Conciliorum Saeculorum IV. V. VI. VII. Pars prior. p. 53.
b) p. 1560.
c) p. 1567.
d) p. 1586.
e) p. 1586. cf. Bossuet: Einleitung in die Geschichte der Welt und Religion fortgesetzt von Cramer. Tom V. P. I. p. 213.

II. TRANSSUBSTANTIATIO.

I. ORIGO EJUS ERRORIS.

§. 28.

Transsubstantiationis erroris origo in ecclesia Graeca et a Patrum de Eucharistia dissensu, aeque atque in Latina (quam ob rem, cum supra §. 7. de eo commemoratum sit, nihil hoc loco mihi addendum esse videtur) et a cultu imaginum ex mea quidem sententia repetenda est. Quicunque enim earum adorationem probarent, eos transsubstantiationis quoque superstitione imbutos fuisse, equidem contendo. Etenim quemadmodum homines tabulas pictas et statuas venerantes a rebus iis, quae iis conspiciebantur descriptae, nihil secernebant, sed eadem pietate, qua illas religionum sanctitates, quarum quasi species et forma erant adumbratae, eas ipsas colere solebant, ita ut imagines mentibus informatae imaginibus sub adspectum cadentibus quodammodo confunderentur: sic panem et vinum non mera esse signa, sed revera corpus et sanguinem opinabantur. Namque sicut Deum et Dominum Jesum Christum, ita sanctam Eucharistiam quoque animis a corporibus avocatis cognoscere ejusque naturam sola mente reputare reformidabant. Etenim cum tabulam pictam, quae Dominum admirabile quoddam facinus conficientem repraesentabat, ad ecclesiae parietem affixam viderent, et, quae in ea admiranda cogitatione percipiebant, quaeque intentis oculis contemplabantur, minime distinguenda esse ducerent, non tam Jesum Christum, quam ipsam tabulam venera-

bantur. Eodem igitur modo sacramenti elementa externa, quae accipiebant, a cibo coelesti, qui simul cum iis suppeditatur, non sejungebant, sed quae separatim distribuebantur, confundere audebant. Sic factum est, ut Graeci, simul atque imagines, quas antiquissimis temporibus Christiani, ne earum illecebris in errores inducerentur, repudiaverant, ab initio ad ecclesiarum dignitatem augendam affixas pietate prosequi coeperunt, fere inviti transsubstantiationis errorem animis quasi inbiberent, cujus rationem clarissimorum magistrorum sententiis afferendis accuratissime exponi posse arbitror.

II. NATURA EJUS ERRORIS.

§. 29.

Qui saeculi sexti initio primus in ecclesia Graeca patrum priorum verba de Eucharistia magnifica ita intelligeret, ut ad eam doctrinam, quae postea transsubstantiatio vocabatur, quam proxime accederet, fuit Anastasius Sinaita monachus, de quo cum plures ejus nominis scriptores exstiterint, infra annotabo. Is enim in libro, qui inscribitur ὁδηγὸς*) cum quibusdam haereticis Eutychianis, quos nominavit Gaïanitas, quique Christi corpus cum θείῳ λόγῳ conjunctum incorruptibile esse contenderent, quo facilius erroris convinceret, ita disputavit, ut primum interrogaret, num si ut divinitas, ita etiam corpus Christi ab ipso unionis initio immortale esset, sancta corporis et sanguinis Christi communio habenda esset verum corpus et sanguis, an figura tantum corporis Chritti? — Cui respondit Gaianita: „Absit, ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram Christi aut nudum panem; sed ipsum corpus et sanguinem Christi, filii Dei incarnati ex sanctissima Deipara nati vere accipimus.“ Itaque sic concedimus, inquit orthodoxus, sic confitemur juxta dictum Christi ad discipulos in coena mystica dantis vivificum panem: „Accipite, comedite, hoc est corpus meum;“ quam ob rem, cum ipse Christus fateatur, vere esse corpus suum et sanguinem, agedum affer nobis aliquid ex communione vestrae ecclesiae, ut in vaso cum omni honore et reverentia reponamus hoc sanctum Christi corpus et sanguinem. Etsi intra paucos dies non corrumpatur aut immutetur, planum fit, vos recte asserere, corpus Christi penitus ab ipso incarnationis initio corruptionis expers esse. Si vero corrumpatur

aut immutetur, necessarium erit, vos fateri, aut id, quod sumatis, non esse verum corpus, sed solam figuram, aut perversam fidem vestram, spiritum sanctum in illud non descendisse, aut Christi corpus ante resurrectionem corruptioni subjectum fuisse. Nam immortalis natura neque scinditur, neque latere et manibus vulneratur, nec in partes dividitur, nec morti datur.“ Ex quo loco luculentissime intelligitur, Anastasium non solum praesentiam substantialem docuisse, sed ipsum transsubstantiationis errorem. Quomodo enim admonere potuit, ut eucharistiae partem in vaso conservarent haeretici, nisi eam ipsius corporis Christi partem esse, opinaretur? Quomodo ex Eucharistia putrescente potuit sequi, ut Christi corpus corruptibile esset, aut non esset, nisi ea in Christi corpus transformata esse putaretur? Non igitur audiendus est Larroquius,[b]) qui ipsius ecclesiae doctrinam ab Anastasio traditam esse contendere audet, quem ipse Basnageius, qui haud raro ejusdem temeritatis accusari debet, refutavit. Contra vero Natalis Alexander[c]) et Arnaldus[d]) catholicum transsubstantiationis dogma eum probavisse argumentis satis multis allatis ostenderunt. Neque non universam ecclesiam graecam ejusdem sententiae fuisse, ex concilii Quinisexti canone centesimo primo conjici potest, quo „Christum bibens vel comedens aeternae vitae adaptare“ dicitur, etsi iis loquendi formulis non nimis multum tribui debet. Itaque cum ad universam ecclesiam Graecam, ea, quae modo ab Anastasio proposita sunt, ut referamus, causae non satis multae commoveant, rectissimum judicium facere nobis videmur, si inclinationem in id, quod postea tradebatur, transsubstantiationis dogma Anastasii aetate fuisse contendimus, ut animi ad eam doctrinam priori anteponendam maxime praeparati fuisse dicendi sint.

a) Erat Anastasius Sinaita Alexandriae patriarcha, de quo cf. Natalis Alexander Tom. V. p. 407—8. Larroque p. 332.

b) Larroque histoire de l'Eucharistie p. 331—333.

c) Natalis Alexander Tom. V. p. 408—409. Bossuet: Einleitung in die Geschichte der Welt und Religion fortgesetzt von Cramer. Tom. V. P. 1. p. 217.

d) Arnauld la perpétuité de la foi de l'église catholique touchant l'Eucharistie. Suite du Tom. I. p. 568.

§. 30.

Secundo vero loco nominandus Joannes Damascenus, ecclesiae Graecae doctor vel maxime illustris, „Caliphae primum consiliarius et minister, monachus deinde in Laura

St. Sabae et presbyter," a Joanne Hierosolymitano patriarcha constitutus, — quod ex iis conjicere licet, quae de Eucharistia satis distincte disseruit, multa quidem praeclara, attamen errores plurimos docuisse putandus est. Etenim disputationis, quam de ea re libro de fide orthodoxa inseruit, plerisque locis pontificiorum dogma, quod postea a Paschasio Radberto acutissime expositum esse ostendimus, revera probavisse [a c]) spiritualem autem praesentiam repudiavisse, nonnullis vero [b]) ab Eucharistiae sarctissimae notione non tam longe abfuisse videatur, quam ii, qui in ecclesia Romana pessimam transsubstantiationis doctrinam amplexi sunt. Panem enim et vinum in corpus et sanguinem domini *μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι* [e g]) revera *μεταβάλλεσθαι*, minime *ἀντιτυπικῶς*, ita ut comedendis speciebus fideles in salutem aeternam,[f]) infideles in perniciem[d]) *θεότητος πνευματικῶς, σώματος σωματικῶς* participes fierent, et intima conjunctione inter se conjungerentur[h]) haec vero omnia communem captum superare docuit. Itaque quae Centuriae Magdeb. cent. VIII. cp. IV. commemorant: „de transsubstantiatione habet multa Damascenus" vera Hospiniani autem et Aubertini opinionem, cum in sententiam Reformatorum ejus doctrinam interpretentur, rejiciendam esse, et per se patet et jam ex eo conjici potest, quod vehementissimus imaginum defensor fuisse perhibetur.

Cf. Hospinian H. S. Tom. I. p. 544. Arnauld la perpétuité I. II. p. 592. Heineccii Abbildung der alten und neuen griech. Kirche. Leipz. 1711. Tom. I. p. 229. Natalis Alex. III. p. 36. et Βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννου τοῦ Δαμασκήνου συγγραφεις παρὰ Ἰωάννου πατριαρχου Ἱεροσολύμων **apud Le Quien in Damasceni operum editione Vid. Tom. I. p. 268—275.**

a) Εἰ τοίνυν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ζῶν ἐστι καὶ ἐνεργὴς καὶ πάντα ὅσα ἠθέλησεν ὁ κύριος ἐποίησεν· εἰ εἶπε γενηθήτω φῶς καὶ ἐγένετο, γενηθήτω στερέωμα καὶ ἐγενετο· εἰ τῷ λόγῳ κυριου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στοματος αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ, εἰ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ ὕδωρ τε καὶ πῦρ καὶ ἀὴρ καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτοῦ τῷ λόγῳ τοῦ κυρίου συνετελέσθησαν καὶ τοῦτο τὸ πολυθρύλλητον τὸ ζῶον ὁ ἄνθρωπος· εἰ θελήσας αὐτὸς ὁ θεὸς λόγος ἐγένετο ἄνθρωπος καὶ τα τῆς ἁγίας ἀειπαρθένου καθαρὰ καὶ ἀμώμητα αἱματα ἑαυτῷ ἀσπόρως σάρκα ὑπεστήσατο, οὐ δύναται τὸν ἄρτον ἑαυτοῦ σῶμα ποιῆσαι; καὶ τὸν οἶνον καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα; εἶπεν ἐν ἀρχῇ· ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου καὶ μέχρι τοῦ νῦν τοῦ ὑετοῦ γενομένου, ἐξάγει τὰ ἴδια βλαστήματα, τῷ θείῳ συνελαυνομένη καὶ δυναμουμένη προστάγματι· εἶπεν ὁ θεὸς, τοῦτό μου ἐστι τὸ σῶμα, καὶ τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα· καὶ τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, καὶ τῷ παντοδυνάμῳ ἑαυτοῦ προστάγματι ἕως ἂν ἔλθῃ, γίνεται· οὕτω γὰρ εἶπεν ἕως ἂν ἔλθῃ· καὶ γίνεται ὑετὸς τῇ καίνῃ ταύτῃ γεωργίᾳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπισκιάζουσα δύναμις. Ὥσπερ γὰρ πάντα, ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς τῇ τοῦ

ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ ἐποίησεν, οὕτω καὶ νῦν ἡ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια τὰ ὑπὲρ φύσιν ἐργάζεται, ἃ οὐ δύναται χωρῆσαι, εἰ μὴ μόνη ἡ πίστις. Πῶς ἔσται μοι τοῦτο, φησὶν ἡ ἁγία παρθένος, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; ἀποκρίνεται Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος· πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, καὶ νῦν ἐρωτᾷς, πῶς ὁ ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα Χριστοῦ; λέγω σοι κἀγὼ· πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτᾷ καὶ ταῦτα ποιεῖ τὰ ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν. Ἄρτος τε καὶ οἶνος παραλαμβάνεται· οἶδε γὰρ ὁ θεὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν· ὡς τὰ πολλὰ γὰρ τὰ μὴ κατὰ τὴν συνήθειαν τετριμμένα ἀποστρέφεται δυσχεραίνουσα.

b) τῇ οὖν συγκαταστάσει συνήθει κεχρημένος, διὰ συνηθῶν τῆς φύσεως ποιεῖ τὰ ὑπὲρ φύσιν· καὶ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος, ἐπειδὴ ἔθος ἀνθρώποις λούεσθαι ὕδατι, καὶ ἐλαίῳ χρίεσθαι, συνέζευξε τῷ ἐλαίῳ καὶ ὕδατι τὴν χάριν τοῦ πνεύματος καὶ ἐποίησεν αὐτὸ λουτρὸν ἀναγεννήσεως, οὕτως ἐπειδὴ ἔθος τοῖς ἀνθρώποις ἄρτον ἐσθίειν, ὕδωρ τε καὶ οἶνον πίνειν, συνέζευξεν αὐτοῖς τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ πεποίηκεν αὐτὰ σῶμα καὶ αἷμα αὐτοῦ, ἵνα διὰ τῶν συνηθῶν καὶ κατὰ φύσιν, ἐν τοῖς ὑπὲρ φύσιν γινώμεθα. Σῶμά ἐστιν, ἀληθῶς ἡνωμένον θεότητι, τὸ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου σῶμα, οὐχ ὅτι τὸ ἀναληφθὲν σῶμα ἐξ οὐρανοῦ κατέρχεται, ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος μ ε τ α π ο ι ο ῦ ν τ α ι *) εἰς σῶμα καὶ αἷμα θεοῦ· εἰ δὲ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖς, πῶς γίνεται, ἀρκεῖ σοι ἀκοῦσαι, ὅτι διὰ πνεύματος ἁγίου.

c) Ὥσπερ καὶ ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου διὰ πνεύματος ἁγίου ἑαυτῷ καὶ ἐν ἑαυτῷ ὁ κύριος σάρκα ὑπεστήσατο· καὶ πλέον οὐδὲν γινώσκομεν, ἀλλ' ὅτι ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἀληθής ἐστι καὶ ἐνεργής, καὶ παντοδύναμος, ὁ δὲ τρόπος ἀνεξερεύνητος. Οὐ χεῖρον καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι ὥσπερ φυσικῶς διὰ τῆς βρώσεως ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῆς πόσεως εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ ἐσθίοντος καὶ πίνοντος μεταβάλλονται καὶ οὐ γίνονται ἕτερον σῶμα παρὰ τὸ πρότερον αὐτοῦ σῶμα· οὕτως ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος οἶνος καὶ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, „ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα τ. Χ. καὶ τὸ αἷμα, κ α ὶ ο ὐ κ ε ἰ σ ὶ ν δ ύ ο ἀ λ λ' ἓ ν κ α ὶ τ ὸ α ὐ τ ό.

*) Vocabula μεταποιεῖσθαι, μεταβάλλεσθαι, similia saepissime leguntur apud patres saec. V. et VI.; ex quorum usu minime sequitur, ut transsubstantiationis dogma probaverint, quam ob rem ex hoc uno verbo Damasceni sententia intelligi nequit. (Cf. Marheinecke S. S. patrum de praesentia Dom. sententia triplex p. 40. 41.) Illi potius saepissime poetarum more et oratorum de sacramento altaris loquentes, non tam de vera transsubstantiatione panis, quam de mystica quadam versione cogitare videntur. Sed tamen apud Gregorium Nyssenum, Cyrillum Hierosolymitanum ea verba in ejusmodi enuntiationibus habentur, in quibus sententia insit non diversa ab ea, quam Damasceni fuisse ostendi. Etenim si ea conferuntur, quae capite supra allato docet, potissimum initium, quo a Dei „omnipotentia eam transmutationem repetendam esse censet, τύπον vero ἄρτου tam vehementer repudiat, non dubium esse potest, quin recte doceat Grabius ad Iren. V. 2. (Vid. Le Quien ad Damasc. T. I. p. 270.) qui: hi persuasi erant, inquit, spiritum coelitus descendentem pani non modo virtutem Christi corporis communicare, sicque eundem ratione qualitatum mutare, sed et divina potentia ipsam ejus substantiam in carnem transformare, quae Christi caro sit, et caro illa, quae ex beatae virginis utero prodiit, et cruci suffixa inque coelum sublata fuit eadem fiat per ἐπαύξησιν etc.“

d) Γίνεται τοίνυν τοῖς πίστει ἀξίως μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς φυλακτήριον ψυχῆς τε καὶ σώματος · τοῖς δὲ ἐν ἀπιστίᾳ ἀναξίως μετέχουσιν· εἰς κόλασιν καὶ τιμωρίαν καθάπερ καὶ ὁ τοῦ κυρίου θάνατος τοῖς μὲν πιστεύουσιν γέγονε ζωὴ καὶ ἀφθαρσία εἰς ἀπόλαυσιν τῆς αἰωνίου μακαριότητος, τοῖς δὲ καὶ ἀπειθοῦσι καὶ τοῖς κυριοκτόνοις εἰς κόλασιν καὶ τιμωρίαν.

e) Οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τ. Χ. μὴ γένοιτο ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τεθεωμένον, αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰπόντος τοῦτό μού ἐστι οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα · καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα καὶ πρὸ τούτου τοῖς Ἰουδαίοις · ὅτι ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτοῖς · ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθής ἐστι βρῶσις καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθής ἐστι πόσις, καὶ πάλιν ὁ τρώγων με ζήσεται (cf. orat. III. de imaginibus. Opp. Tom. I. p. 357. 6. — οὐ μετέσχον ἄγγελοι, οὐδὲ ἐγένοντο θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀλλ' ἐνεργείας καὶ χάριτος · ἄνθρωποι δὲ μετέχουσι καὶ κοινωνοὶ θείας φύσεως γίνονται, ὅσοι μεταλαμβάνουσι τὸ σῶμα τοῦ Χ. τοῦ ἁγίου καὶ πίνωσι τὸ αἷμα · θεότητι γὰρ καθ' ὑπόστασιν ἥνωται καὶ δύο φύσεις ἐν τῷ μεταλαμβανομένῳ ὑφ' ἡμῶν σώματι τ. Χ., ἡνωμέναι καθ' ὑπόστασίν εἰσιν ἀδιαστάτως, καὶ τῶν δυοῖν φύσεων μετέχομεν τοῦ σώματος σωματικῶς καὶ θεοτητος πνευματικῶς — οὐ καθ' ὑπόστασιν ταυτιζόμενοι · ὑφιστάμαθα γὰρ πρῶτον καὶ τότε ἑνούμεθα, ἀλλὰ κατὰ συνανάκρασιν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος. cf. Arnauld l. l. p. 598) Διὸ μετὰ παντὸς φόβου καὶ συνειδήσεως καθαρᾶς καὶ ἀδιστάκτου πίστεως προσέλθωμεν, καὶ πάντως ἔσται ἡμῖν καθὼς πιστεύομεν, μὴ διστάζοντες · τιμήσωμεν δὲ αὐτὸ πάσῃ καθαρότητι, ψυχικῇ τε καὶ σωματικῇ, διπλοῦν γάρ ἐστι · προσέλθωμεν αὐτῷ πόθῳ διακαεῖ, καὶ σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ὑποδεξώμεθα · καὶ ἐπιθέντες τοὺς ὀφθαλμοὺς και χείλη καὶ μέτωπα τοῦ θείου ἄνθρακος μεταλαμβάνωμεν, ἵνα το πῦρ τοῦ ἐν ἡμῖν πόθου προςλαβὸν τὴν ἐκ τοῦ ἄνθρακος πύρωσιν καταφλέξῃ ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας, καὶ φωτίσῃ ἡμῶν τὰς καρδίας καὶ τῇ μετουσίᾳ τοῦ θείου πυρὸς πυρωθῶμεν ἄνθρακι. Ἄνθρακα εἶδεν Ἡσαΐας· ἄνθραξ δὲ ξύλον λιτὸν οὐκ ἔστι, ἀλλ' ἡνωμένον πυρί · σῶμα δὲ ἡνωμένον θεότητι · οὐ μία φύσις ἐστὶν, ἀλλὰ μία μεν τοῦ σώματος, τῆς δὲ ἡνωμένης αὐτῷ θεότητος ἑτέρα. Ὥστε τὸ συναμφότερον οὐ μία φύσις ἀλλὰ δύο.

f) Σῶμά ἐστι καὶ αἷμα Χ. εἰς σύστασιν τῆς ἡμετέρας ψυχῆς καὶ σώματος χωροῦν, οὐ διαπανώμενον, οὐ φθειρόμενον, οὐκ εἰς ἀφεδρῶνα χωροῦν · μὴ γένοιτο · ἀλλ' εἰς τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ σωτηρησιν, βλάβης παντοδαποῦς ἀμυντήριον, ῥύπου παντὸς καθαρτήριον · δι' αὐτοῦ καθαιρόμενοι ἑνούμεθα τῷ σώματι κυρίου, καὶ τῷ πνεύματι αὐτῷ, καὶ γενόμεθα σῶμα Χ.

g) Εἰ γὰρ καὶ τινες ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυριου τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεοφόρος ἔφη Βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι, αὐτὴν τὴν προσφορὰν οὕτω καλέσαντες — —.

h) Εἰ γὰρ πάντως ἕνωσίς ἐστι πρὸς Χριστὸν καὶ πρὸς ἀλλήλους, πάντως καὶ πᾶσι τοῖς μεταλαμβάνουσιν ἡμῖν κατὰ προαίρεσιν ἑνούμεθα · ἐκ προαιρέσεως γάρ, ἡ ἕνωσις αὕτη γίνεται, οὐ χωρὶς τῆς ἡμῶν γνώμης · πάντες γὰρ ἓν σῶμά ἐσμεν, ὅτι ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μεταλαμβάνομεν, καθὼς φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος.

Damascenum vero fere omnes secuti sunt Graeci doctores, velut Thophylactus, Euthymius Zygabenus. v. Eu-

thym. Zyg. comment. in Matth. 26. 28: „Οὐκ εἶπε δὲ, ὅτι ταῦτα σύμβολα τοῦ σώματός μου καὶ τοῦ αἵματός μου, ἀλλ' ὅτι ταῦτά εἰσιν αὐτὸ τὸ σῶμά μου καὶ αὐτὸ τὸ αἷμά μου· λοιπὸν οὖν χρὴ μὴ πρὸς τὴν φύσιν τῶν προκειμένων ὁρᾶν, ἀλλὰ πρὸς τὴν δύναμιν αὐτῶν. Ὥσπερ γὰρ ὑπερφυῶς ἐθέωσε τὴν προςληφθεῖσαν σάρκα· οὕτως ἀποῤῥήτως μεταποιεῖ καὶ ταῦτα εἰς αὐτὸ τὸ ζωοποιὸν αὐτοῦ σῶμα.

§. 31.

Transsubstantiationis vero dogma sic a clarissimis magistris traditum quomodo in ecclesia Graeca imperatorum decretis probatum sit, id non potest intelligi, nisi ejus conditionis, in qua octavo et nono seculo versata sit, in conspectu est imago. Erat autem eo tempore acerbissimum certamen exortum inter imperatores, qui tabulas pictas ne quis veneraretur, vetarent et plebem superstitiosam, cui mirifice in iis haererent oculi. Etenim Leo Isauricus imperator fortissimus A. 726 cum de imaginibus abolendis edictum tulisset, quo cognito ingens tumultus excitatus est a populo, neque ut retractaret, Germani patriarchae precibus adduci posset, tantum valuit apud filii, qui ei successit, Constantini Copronymi, animum, ut patris voluntatem legem sibi esse statueret et Concilio sexto Constantinopolitano, quod coegit A. 754, et imaginum adorationem rejiceret, et de Eucharistia sententiam t y p i c a m proponeret. Quod Concilium a theologis pontificiis tam impugnatum, quam a Reformatis elatum est laudibus. Neque tamen episcoporum quidem numerum satis magnum adfuisse, neque ad suum quemque arbitrium decrevisse concedendum est. Imperatoris enim ad voluntatem, etsi multi sua sponte probaverunt, tamen p l u r i m i ita se accommodaverunt, ut diligenti consideratione nulla adhibita, quid statuendum esset, jam antea cognoscerent. Revera autem ibi transsubstantiationis doctrinam, cui plerosque favisse ex ratione, qua repudiata sit, intelligimus, ingenue improbatam, neque ullam nisi notionem τυπικὴν Eucharistiae injectam esse, ex decreto Concilii ita apparet, ut nulla de ea re dubitatio esse debeat. Nihilo autem minus certissimum est post Constantinum et Leonem Chazarum cum Irene pro filio, Constantino VI. in summum dignitatis locum elata, rempublicam administraret, ea synodo Nicena qua ut postea colerentur imagines constitutum est, illud transsubstantiationis dogma ita esse sancitum, ut ecclesia Graeca non tam distincte quidem, quam mox La-

tina, minime autem obscure et enucleate, quid senserit, tradideritve dicenda sit. Decrevit enim hunc in modum:

Οὐδαμοῦ οὔτε ὁ κύριος οὔτε οἱ Ἀπόστολοι ἢ πατέρες εἰκόνα εἶπον τὴν διὰ τοῦ ἱερέως προσφερομένην ἀναίμακτον θυσίαν, ἀλλὰ αὐτὸ σῶμα καὶ αὐτὸ αἷμα καὶ πρὸ μεν τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως ἀντίτυπά τισι τῶν ἁγίων πατέρων εὐσεβῶς ἔδοξεν ὀνομάζεσθαι — μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα Χ. λέγονται καὶ εἰσι καὶ πιστεύονται, αὐτοὶ δὲ οἱ γεννάδαι θέλοντες τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων ἀφανίσαι θεάν, ἑτέραν εἰκόνα παρεισήγαγον, ἥτις οὐκ εἰκών ἐστι, ἀλλὰ σῶμα καὶ αἷμα.

Cf. Natal. Alex. l. l. VI. p. 16. 17. Chemn. Exam. p. 704. Arnauld: La perpétuité I. 2. p. 623. Basnage p. 860. Walch Entwurf einer vollständ. Historie der Ketzereien. 10. p. 290. 301. Bossuet: Einleitung in die Geschichte der Welt und Religion fortgesetzt von Cramer Tom. V. P. 2. p. 238.

III. CALAMITAS INDE ENATA.

§. 32.

Calamitas transsubstantiationis doctrina enata et ea, quae de imaginibus colendis pugnis exorta est plurimis, ita inter se cohaerent, ut nullo modo separari posse videantur. Etenim ut supra dixi, qui imagines venerandas decreverunt, quique negaverunt, iidem transsubstantiationis doctrinam aut probaverunt aut repudiaverunt. Itaque certamina a nonnullis imperatoribus, de quibus §. 31. breviter enarravi, de eo, qui Deo debuit, statuis et tabulis habendo honore vel maxime exacerbatis, haud raro inita, ab iis, quae de Eucharistia sententiarum varietas excitavit, minime habenda sunt diversa. Namque qui ne imagines colerentur, vetuit, idem transsubstantiationem rejecisse, qui mandavit, tradidisse fertur. Illarum vero προςκύνησις cum a Theodora in omne tempus sancita esset, transsubstantiationis quoque error tantopere inveteravit, ut, qui eum rejicere audebant, cum imperatorum auctoritatem imminuerent, casibus concuterentur acerbis. Itaque haeretici, qui jam antea exstiterunt, quoniam imagines colere transsubstantiationisque doctrinam comprobare cogebantur, seditiones saepissime commoverunt ejusque servitutis, qua opressos eos tenere voluit imperatorum immanitas, jugum a cervicibus depellere studuerunt. Sic enim Pauliciani, cujus sectae Constantinus fuisse perhibetur conditor, a Theodora imaginum colendarum

studiosa vel maxime vexati, cum caedis periculum subirent, Tephricen urbem aedificaverunt, ex qua, cum permultos impetus facerent, imperiique fines infestarent latrociniis, ab Alexio Comneno devicti, et in ecclesiae societatem assumti sunt. — Paulicianorum vero, cum etiam baptismum repudiarent (Vid. Photius libr. contra Manichaeos:[a]) *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ σωτήριον διαπτύοντες Βάπτισμα, ὑποπλάττονται παραδέχεσθαι αὐτὸ, τὰ τοῦ Εὐαγγελίου ῥήματα τῇ τοῦ βαπτίσματος φωνῇ ὑποβάλλοντες· καὶ γάρ, φασιν, ὁ Κυρίος ἔφη. ἐγώ εἰμι τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν*) de Eucharistia doctrina fere eadem erat, quam Catharorum fuisse supra ostendi. Sic enim legitur apud Photium: *Ὡσαύτως δὲ τὴν κοινωνίαν τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν μυρίαις ὕβρεσι πλύνοντες, ἀποδέχεσθαί φασι σῶμα καὶ αἷμα τερατολογοῦντες τὰ δεσποτικὰ ῥήματα ἃ καὶ φασι μεταδιδόντα τοῖς Ἀποστόλοις εἰπεῖν· λάβετε, φαγετε, καὶ πίετε· ἀλλ' οὐκ ἄρτον ποθὲν ἢ οἶνον προςφέροντα.*[b]) — *Τέταρτον εἰς ἐρώτησιν αὐτοῦ προὔκειτο· τί δήποτε ἄχραντον καὶ φρικτὸν σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ὑβρίζει τε καὶ διαπτύει, καὶ μετασχεῖν αὐτῶν οὐκ ἀνέχεται; ὁ δὲ τρισαλιτήριος πάλιν τόν τε ἀτιμίαις ὑπάγοντα τὸ σῶμα καὶ αἷμα Χρ. τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ τὸν τῆς μετοχῆς αὐτῶν ἔξω διαμένοντα τῷ ἀναθέματι παρετίθετο· σῶμα πάλιν καὶ αἷμα ὁ κατάρατος ἐννοῶν, οὐχ ἅπερ ἡμῖν ἐδίδαξεν ὁ κοινὸς δεσπότης, σῶμα καὶ αἷμα καλεῖν, ἀλλ' ἀντ' ἐκείνων τὰ κυριακὰ λόγια.*[c]) Praeter Paulicianos Bogomili exstiterunt haeretici, quos cum ecclesiae Latinae Catharis intima societate fuisse junctos, universae doctrinae declarat similitudo, quique viam a Paulicianis munitam ineundam esse censuerunt, quod quidem conjicere licet ex verbis paucis, quae de ea re exstant apud Euthymium. *Ἀτιμάζουσι τὴν μυστικὴν φρικτὴν ἱερουργίαν καὶ τὴν τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος ἁγίαν μετάληψιν, θυσίαν τῶν ἐνοικούντων τοῖς ναοῖς δαιμόνων ταύτην ἀποκαλοῦντες.*[d])

a) Cf. Anecdota graeca Sacra et profana a Christ. Wolfio p. 29.
b) ibid. p. 22.
c) ibid. p. 80. cf. Natalis Alex. 7. p. 529. Neander: Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche. Tom. III. p. 368.
d) Euthymii Panoplia tit. 23. sect. 8. cf. Schroeckh. Tom. XXIX. p. 469. 477. Mosheim Institt. p. 420. Natalis Alex. VIII. p. 74. 75.

III. PANIS FERMENTATI USUS, CUI NIMIS MULTUM TRIBUEBATUR.

(CONCERTATIO ECCLESIAE GRAECAE ET ROMANAE DE USU PANIS AZYMI AUT FERMENTATI.)

§. 33.

Abrogato pane fermentato, azymum in Eucharistia distribuenda adhibendum ecclesia Romana et decrevit et tanquam a Christo et apostolis usurpatum in Graeca quoque ecclesia comedi jussit. — Quam ob rem cum jam multis aliis de causis inimicitiae intercederent inter Latinos et Graecos, tum de ea re potissimum epistola, quam Michaël Caerularius dabat ad Joannem Tranensem A. 1054. maxima dissensio exorta est. Erant autem, quibus Michael fermentati panis usum defenderet, rationes fere hae: 1, „Quia azyma comedi Judaeos Moses jussit: noster vero panis Christus est. 2, „Quia Christus in coena dixit, se novum testamentum instituere.“ 3, „Quia in N. T. habetur vocabulum ἄρτος; ἄρτος autem idem est, quod elevatus et sursum portatus: azyma autem nihil distant a lapide, sine animo.“ 4, „Quia azyma malorum et calamitatum sunt symbola, nostrum vero Pascha gaudium et laetitia est.“ 5, „Christus dixit: vos estis sal terrae, simile est regnum coeli fermento.“ 6, „Translato sacerdotio etiam legis translatio facta est, ergo azyma Judaeis sunt permittenda. 7, „Christus accipiens panem: hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Azyma autem neque domini recordationem excitare possunt, neque ejus mortem annuntiare, quia ad ritus mosaicos pertinent.“ — Quae argumenta etsi ridenda nobis neque ullius momenti esse videantur, tamen tantopere Romanorum animos commoverunt, ut et ipse Leo IX. papa responderet, et Humbertus cardinalis librum componeret, qui inscribitur: Responsio instar dialogi ab ipso Latine conscripta et jussu imperatoris Constantinopolitani graece edita. Is enim negat: 1, „Romanos Judaeorum consuetudinem sequi, qui primi mensis die XIV. azyma comedant; illos autem, quoties Eucharistia fruantur, azymis quoque frui.“ 2, „Rationem ab originatione vocabuli ἄρτου repetitam ineptam esse, vocabulum enim panis pro azymo et fermentato haberi in N. T.“ 3, „Azymum a Christo ipso comedendum traditum esse discipulis, cum die festo, quo Pascha celebrari solita sit, coena sacra instituta sit.“ 4, „Fermentum esse vitium, quia fiat ex faecibus cerevisiae. („Cavete a fermento Pharisaeorum“)“ 5, „Hierosolymitanam quoque

ecclesiam uti pane azymo. 6, „V. T. esse fundamentum novi.“ — Nihilo tamen minus denuo graecorum rituum defensor exstitit, Nicetas Pectoratus, qui contenderet: 1, „Qui azyma comederet, eum esse sub umbra legis.“ 2, „Christum vero nos jubere in luce ambulare.“ 3, „Azymum non esse panem neque compositum neque per se ipsum perfectum.“ 4, „Paulum dicere: expurgate vetus fermentum.“ 5, „Eundem apud Corinthios instituisse non azyma, saepius enim nominare panem, non azyma.“ 6, „Non comedisse apostolos azyma, quia Christus die XIII. cum iis coenasset.“ — Quibus rationibus, quae ab utriusque ecclesiae scriptoribus opponebantur, tanta omnes flagraverunt invidia, tantaque acerbitate pro sua quisque consuetudine dimicavit, ut Leo IX. cum ecclesia Graeca omnem consortionem dissolveret, et ne minima quidem societate ejus ritibus contingeretur. Ex quo tempore cum sui juris esse coepisset utraque ecclesia: A. 1138 alia disputatio de eadem re inter Anselmum Havelbergensem a Lothario Constantinopolin missum et Nicetam Nicomediensem habita esse perhibetur, in qua hic fermentatum panem non damnandum esse probavit, quia Miltiades et alii papae de pane fermentato decrevissent; Latini vero a Graecis in ea re olim non dissensissent, sed sino ullo discrimine pane azymo et fermentato essent usi. Contra Anselmus azyma omnibus comedenda esse ostendere conatus est.

Attamen Graecorum ecclesia postea fermentati panis usum necessarium esse, ita docuit, ut cum Concilio Florentino 1438, quo id ageretur, ut ecclesiae discordes inter se sociarentur, pane fermentato abstinere ab Eugenio IV. jussi essent, eam consuetudinem libentius servandam, quam ea abolita salutem augendam censerent.

Vid. Hosp. I. p. 288. Le Quien Dissertat. Damasc. in ipsius edit. Opp. Damasc. T. I. p. 71. 85.

Typis Julii Sittenfeld.

CORRIGENDA.

Vel maxime doleo, quod in hoc opusculo tot menda typographica exstant, quae, etsi plurimum diligentiae in singulas plagulas corrigendas contuli, tamen me in ea re minus exercitatum fugerint.

*Pag. 3. lin. 10. sup. pro intercederet lege intercedat
Pag. 12. lin. 2. sup. pro ξενοδευπόρους lege ξυνοδοιπόρους
Pag. 15. lin. 3. inf. pro opiniorum lege opinionum
*Ibid. lin. 7. inf. pro ante se lege antea
Pag. 20. lin. 11. sup. pro velutabro lege volutabro
Pag. 23. lin. 12. sup. pro habendum est lege habendum erat
*Pag. 32. lin. 5. sup. pro esse conjunctum lege sit conjunctus
*Pag. 43. lin. 3. inf. pro jacta sunt lege jacta sint
*Pag. 52. lin. 21. inf. pro ante se vixerunt lege ante se vixissent
Pag. 63. lin. 2. inf. pro Uniacensem lege Cluniacensem

Praeterea p. 2. lin. 3. inf. formae generis masculini acris usitatiorem acer praefero, quae ut scribatur, rogo